AUTHOR:

HOISCHEN, GERHARD

TITLE:

DE VERBORUM ACCENTU IN VERSIBUS PLAUTINIS

PLACE:

MONASTERII GUESTF.

DATE:

1914

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87PD
Z8 Hoischen, Gerhard, 1888-
v.7 De verborum accentu in versibus Plautinis observato quaestiones novae, dissertatio inauguralis quam ... scripsit Gerhardus Hoischen ... Monasterii Guestfalorum, ex officinia societatis typographiae Guestfalorum, 1914.

56 p. 22½ cm.

Thesis, Münster.

Volume of pamphlets

149890

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-7-92 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

no. 2

DE VERBORUM ACCENTU IN VERSIBUS PLAUTINIS OBSERVATO QUAESTIONES NOVAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM PHYSICORUMQUE IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE GUILELMIA GUESTFALA MONASTERIENSI ORDINIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GERHARDUS HOISCHEN

SUSATENSIS.

MONASTERII GUESTFALORUM 1914

EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHIAE GUESTFALORUM.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Gerhardus Schmidt,
ordinis philosophorum h. a. decanus.

De hac commentatione ad ordinem rettulit

P. Sonnenburg,
P. P. O.

Parentibus.

A studiis Terentianis si quis ad Plautum transeat, facile sibi erit conscius, in quam aspero agro atque adhuc non exaequato pedes incertos sit positurus. Etenim quamquam a Ritschelii usque ad nostram aetatem viri plurimi et doctissimi quaestionibus, quae ad comoedias Plautinas pertinent, omnibus omnem operam studiumque omne per multum temporis navaverunt, tamen non solum emendationis et interpretationis satis magna pars criticis futuris manet, verum etiam rerum metricarum tot et tantae exstant difficultates, ut ne hodie quidem Plauti fabulae non sint idoneae, quae ingenii critici acumen excitent. Quae res ut homini studiis Plautinis probato gratissima, ita molestissima studium ineunti. Neque tamen cuiquam, qui, ut antiquissimis litterarum Romanarum monumentis daret operam, sibi proposuerit, haec molestia est inutilis.

Atque ab initio imprimis animum adverti in antiquioris linguae formas, quae a Plauto sunt conservatae, etsi res metricae et prosodiacae, quae dicuntur, aliquantum mihi curae erant idque ita, ut tritas quidem versuum leges notas mihi esse, multum vero abesse mihi fatendum sit, ut tenuiorum et subtiliorum rerum magnam habeam notitiam vel — ut rectius dicam — magnum sensum.

Sed profecto quamquam non is sum, quin sciam, quam subtili sensu et mollibus auribus opus sit de versuum Plautinorum rhythmis recte iudicaturo (quam aurium mollitiam Horatio[1]) defuisse non est mirum, quippe qui omnes numeros Graecis prorsus legibus metiendos esse existimavisse videatur), tamen eam quaestionem denuo tractare in animo habeo, quae etiam nunc post multos multorum hominum labores multa habeat dubia. Etenim licet criticorum, qui nunc sunt, nemo

[1]) Epist. II 3, 270 sq.: At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati. cf. Cic. or. 184.

plane neget Plautum verborum accentum respexisse, tamen omnes fere huius quaestionis partes suas habent controversias. Qua re adductus sum, ut sperarem non sine fructu de verborum accentus et numerorum ictus apud Plautum consociatione me esse disputaturum.

Atque ita optime rem instituturus esse mihi videor, ut primum, quid de accentu observato aut neglecto homines docti adhuc protulerint, paucis adumbrare studeam, deinde demonstrem, quid ipse censeam, idque ita, ut nullius auctoritati addictus ipse ipsas res adeam. Qua in altera parte, quam maiorem esse decet, ad varia verborum genera animum referam i. e. ad verba tribrevia dactylicaque et ad spondiaca anapaestica aut ita cadentia atque dabo operam, ut explicem, quatenus singulis in sedibus eorum accentus serventur. Quibus duabus partibus adiungetur quasi appendix tertia, in quam nonnullas observationes conferam, quibus ad summam quaestionem magis minusve illustrandam non nihil spero posse tribui.

I.

Prima pars.

Ricardus Bentley, qui primus antiquae comoediae Latinae metrorum naturam et elegantiam cognovit atque emendationis Terentianae princeps exstitit, primus eam quaestionem attigit, cui post eum multi magnopere dederunt operam. Qui quamquam non eo progressus est, ut singula persecutus doceret, quas potissimum voces contra pedestris orationis consuetudinem ictu acutas et quibus potissimum versuum locis Terentius evitavisset, tamen rem ipsam recte statuit. Scripsit enim in schediasmate de metris Terentianis exeunte: „Iam vero id Latinis Comicis, qui Fabulas suas populo placere cuperent, magnopere cavendum erat, ne contra Linguae genium Ictus seu Accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent.“ Neque id unum est. Idem iam vocularum encliticarum vim perspexit, cum non solum enclitico *-que,* sed etiam aliis ut *me te se* sequentibus in polysyllabis oxytonis nullam dixerit inesse offensionem. Ne id quidem eum fugit in tertio quartoque senarii pede ictum et accentum multo saepius concinere quam in prima et tertia dipodia. Eo magis esse mirandum videtur mihi, quod de altero pede nihil dixit, ut qui primae dipodiae sit. „Totum autem hoc, inquit, quod de Ictu in ultimis syllabis cautum fuisse diximus, de secunda tantum Trimetri διποδίᾳ capiendum; nam in prima et tertia semper licuit; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat de Comoedia Tragoediaque Latina. Cum igitur hunc versum similesque apud Nostrum videris:

malúm quod isti dí deaeque omnés duint

cave vitio id poetae verteris; etsi *Malúm* illud et *Omnés* si in communi quis sermone sic acuisset, deridiculo fuisset. Nimirum aures vel invitae patienter id ferebant, sine quo ne

una quidem in Fabula Scaena poterat edolari . . . . In secunda igitur Trimetri διποδίᾳ hoc de quo agimus non licebat."

Multis annis postea G. Hermann iterum in hanc quaestionem incubuit. Sed ut ne is quidem probatione accurata nisus est, ita aliquantum ultra illius locum progressus eo pervenit, ut voces spondiacas in ultima acutas cognosceret Plautum Terentiumque maxime vitasse in sedibus „interioribus" i. e. in secundo quartoque senarii pedibus et in primo tertio quinto septenarii trochaici. Id quidem significat his:[1] „. . . . Hinc illud imprimis caverunt, ne accentus vocabulorum, in quibus spondeus est aliquem e paribus locis tenens, cum ictu pugnaret." De proceleusmaticis in eodem libro bis verba fecit,[2] quae haud scio an ita interpretanda sint, ut eos nunquam inter accentum et ictum discordiam admittere iam tum cognitum sit.

Neque mirum est eum, qui proximi saeculi clarissimus studiorum Plautinorum fuit auctor, eo adductum esse, ut plenius doceret, quid sentiret de ratione, quae inter verborum accentum et ictum rhythmicum intercedat: Fr. Ritschelium dico. Itaque in Prolegomenis illis per multas paginas eximia sagacitate atque animo ad versuum rhythmum percipiendum acerrimo de hac re disputavit,[3] sed non satis magna exemplorum copia collata, quoniam praeter Trinummum et Bacchides nullas fabulas videtur respexisse. Quae res eum non impedivit, quin de singulorum pedum licentiis aut legibus optime plerumque iudicaret, velut recte vidit ab ultimo pede bisyllaba oxytona in paenultimum et antepaenultimum necessario penetravisse, quamquam in illum saepius et facilius quam in hunc. Attamen haud scio an non feliciter in eo versatus sit, quod sedum „parium" et „imparium", quae dicuntur, dissimilitudinem, de qua iam G. Hermann monuerat, magis aequo neglexit neque id egit, ut harum rerum discrepantias expediret. Cui rei si studuisset, fortasse non tam acriter postea eius sententiam et iudicium adversarii impugnavissent. Praeterea monendum est eam eius opinionem (ne

[1] Elementa doctrinae metricae (Lipsiae 1816) p. 141.
[2] p. 130. 151.
[3] Prolegomena de rationibus criticis grammaticis prosodiacis metricis emendationis Plautinae (Bonnae 1848) p. 207—270 = Opusc. V 283 sqq.

dicam errorem) per multum tempus ad rationem metricae Plautinae cognoscendam non solum inutilem, verum etiam noxiam fuisse, quod septenarium trochaicum e cretico et senario iambico compositum esse sibi persuasit. Qua opinione adductus Ritschl cretico illi quasi libero et a sequenti versus parte soluto maiorem licentiam esse concedendam putavit.[1] Quam sententiam imprimis E. Wallstedt[2] suam fecit et longius persecutus est, qui quae demonstrare studuit, infra examinanda sunt.

Ritschelii disciplinam ut fulciret, Oscar Brugmann sibi proposuit disputatione, cui inscripsit: *Quemadmodum in iambico senario Romani veteres verborum accentus cum numeris consociaverint* (Bonnae 1874). Atque is omnes senarios perscrutatus mutandos sive corrigendos esse putavit, quorumcunque in altero aut tertio pede vocabula spondiaca aut anapaestica oxytona libri manuscripti exhibent paucissimis exceptis, ubi enclisin valuisse concessit velut in *multó post, penés me.* Quo corrigendi studio etsi longius evectus est neque satis magnam vim enclisi tribuit, tamen, quae ille protulit, admodum sunt utilia de hac re disputanti aeque ac H. Koehleri opusculum, quod de septenariis trochaicis scriptum est: *De verborum accentus cum numerorum rationibus in trochaicis septenariis Plautinis consociatione* (Halis Saxonum 1877).

Sed iam adversarii exstiterant Bentleio et Ritschelio. Postquam enim Fr. Ritter et Lucianus Mueller eorum sententiam redarguendam susceperunt, Wilh. Corssen,[3] ipsa fundamenta ut divelleret, sibi proposuit, cuius argumentis non pauci graviter commovebantur. Sed quia nequiquam eum laboravisse equidem existimo, iam nunc nonnulla contra eum dicam, quae haud scio an non aptius alio loco contextui inseri possint. Qui ut non temere negavit fuisse certa temporum spatia, quibus deinceps sequentibus accentus et ictus conciliationem a poetis Latinis minus ac minus observatam esse Ritschl erat opinatus,

[1] p. 227 sqq.
[2] Studia Plautina (Lundae 1909) p. 93 sqq.
[3] Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache II^2 (Leipzig 1870) p. 948—1000.

ita magnum in errorem ipse incidit, quia et multum tribuit ei rei, quod in posterioris aetatis carminibus popularibus minor erat discrepantia quam in Plauti fabulis, neque id multum valere putavit, quod in Senecae tragoediis multo maior est quam apud Plautum.[1]) Immo vero carmina popularia non licet comparare cum comoediis Plautinis, quibus longae fabulae Graecae summa arte excultae et expressae eleganti dictione Latinae linguae indoli erant accommodandae, aut si licet, ex carminum popularium accuratione summa nihil apparet nisi Plauto consociandi studium non tam prospere cessisse, quam erat optandum, vel eam ob causam, quod ab exemplaribus Graecis id plane erat alienum, vel propterea, quod tantus ei erat ac tam varius labor, ut non in omnibus rebus utique posset praecellere. Senecam autem minus Plauto accentum observandum curavisse minime decet mirari, quoniam tum Romanorum ars metrica nihil agebat, nisi ut Graecorum elegantiam imitaretur. Quod igitur in Senecae versibus saepius ictus cum accentu pugnat, inde concludendum esse puto, si Senecam concordiae omnino non studuisse conceditur, Plautum aliquantum studuisse; studuit autem, *quoad fieri posset,* ut ait Ritschl,[2]) habetque medium, ut ita dicam, locum inter carminum popularium usum, quae summa severitate accentus observare solebant, et Senecam, qui nulla.

Accedit, quod Corssen de linguae Latinae accentu falsam opinionem animo informaverat, quippe in quo magis quantitatis rationem (ut germanice ait *Tondauer*) quam intentionis *(Tonstärke)* valuisse persuasum haberet. Quod autem versus Saturnios contra Ritschelium facere opinatus est, nullius momenti est, quoniam mea quidem sententia ne nunc quidem quicquam certi constat de istius generis versuum structura atque ratione metrica. Praeterea id imprimis Corssen esse miratus videtur, quod vel in octonariis quidem trochaicis accentus ictusque concinnitas saepe laeditur, cum in his versibus trochaice cadentibus poetae metro non cogerentur accentus contemnere. At promptum est dicere non fuisse, quod, qua utebantur in septenariis licentia, eam octonariis non conce-

[1]) p. 955 sqq.
[2]) Proll. p. 207.

derent. Neque tamen usquam in octonariis cadentibus accentus negleguntur; nam quae ille affert exempla,[1]) nihil probant: Pseud. 166[2]) anapaesticus est et Rud. 924 duas trochaicas tripodias catalecticas efficit, cuius versuum generis etsi ratio non intellegitur, saepius videtur exstare, quam ut Plautum eo usum non esse liceat dicere. — Pseud. 145 *utí ^{8}sint* et Bacch. 984 *ded^{8}ít mi,* si ita scribendi sunt,[3]) nihil habent offensionis propter ultimarum vocum enclisin. Atque haec hactenus contra Corssenium.

In tertia autem parte eius de accentus vi et natura commentationis[4]) non pauca recte dicta sunt contra Ritschelium, qui ultra fines progressus propensior erat ad versus mutandos, in quibus contra accentum pronuntiari opinabatur. Qua in parte feliciter eum secutus sis.

Aliquot annis post prodiit id opus, quod vehementissime gravissimeque impetum fecit in eos, qui a Latinis comicis consulto accentum esse respectum sibi persuaserant. Wilh. Meyer[5]) omnia, quae ad ictus et accentus consociandi studium referenda esse Ritschl censuerat, duobus aliis ex fontibus profluxisse ut probaret, maxime dedit operam. In extrema disputatione suae sententiae hanc, ut ipsius verba sequar, summam fecit: „Die teilweise Übereinstimmung beider Accente in den lateinischen Versen erklärt sich auf natürliche Weise, einerseits aus dem Betonungsgesetz der lateinischen Sprache überhaupt, anderer-

[1]) p. 968.
[2]) In versibus Plautinis numerandis secutus sum editionem Teubnerianam, quam curaverunt G. Goetz et Fr. Schoell (Lipsiae 1904—1910), praeterea magno cum fructu usus sum editionibus, quas curaverunt Loewe Goetz Schoell (Leipzig 1871—1894), Leo (Berlin 1895—1896), Lindsay (Oxford 1904—1905), Brix-Niemeyer (Captivi, Menaechmi, Miles, Trinummus. Leipzig 1891—1907).
[3]) Neque enim dubitandum est, quin veram scripturam libri manuscripti habeant: Pseud. 145 *^{4}fáciam ut valide vária sint,* Bacch. 984 *^{4}óbsignatas mi hás dedit,* quos septenarios Ritschl verbis inversis in octonarios mutaverat nulla causa cogente.
[4]) p. 990—1000.
[5]) Über die Beobachtung des Wortaccentes in der altlateinischen Poesie. Abh. der Bayer. Akad. d. W. Bd. 17 (1886) 1 sqq.

seits aus den Gesetzen, welche von demjenigen, der die jambischen und trochäischen Zeilenarten der griechischen Lustspiele zuerst mit Glück nachahmte, in Nachahmung der griechischen metrischen Gesetze für die lateinischen Verse aufgestellt wurden." [1]) Haec extrema verba spectant in eam legem, quam utrum poetae Latini ipsi an Meyer tulerit, interim non diiudico, quam legem „dipodicam" vocant. Id dicere hoc loco satis habeo, quia huius sententiae argumenta proxima disputatione perscrutari meum erit.

Quae autem a Meyero erant prolata, iam plurimos homines doctos, qui Plauto singulariter operam navabant, adeo movisse videbantur, ut duo tantum, quod sciam, contra eum dicere auderent atque priorem disciplinam iam labantem susciperent defendendam: R. Klotz,[2]) qui ut illam legem non omnino reiciendam esse, ita a Meyero non iam plane esse probatam censuit, atque felicissime, ut ego iudico, P. Langen,[3]) qui cum contra eum facit, optime pro Bentleio et Ritschelio propugnat. Nam tota, de qua agebatur, quaestione tractata id imprimis demonstravit, si quis illam legem sequatur, eum ipsas res, quae ad ictus et accentus conciliationem spectare Ritschelio aliisque videbantur, sane recte statuere, sed nullo modo ipsas rerum causas aperire posse. Itaque huius disputatione mox optime uti poterimus ad Meyeri opinionem refellendam.

Quomodo postquam nequiquam in priorem sententiam impetus est captus, nunc ita res se habet, ut rei ipsius adversarii nulli fere sint, singulis autem in rebus magis minusve a Ritschelio discessum sit. Ac satis magnus commentariolorum numerus nostra aetate publici iuris factus est, quorum scriptores, ut eius praecepta aut supplerent aut corrigerent, sibi proposuerunt; neque pauci recte disputaverunt. Quorum opusculorum nonnulla respicienda sunt mihi, sed et longum et supervacaneum esse iam videtur hoc loco omnia enumerare. Denique hic illic viri docti occasione oblata, cum de rebus

[1]) p. 103—104.

[2]) Bursian, Jahresberichte über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft. Bd. 48 (1886) 125 sqq.

[3]) Bemerkungen über die Beobachtung des Wortaccentes im älteren lateinischen Drama. Philol. 46 (1887) 400 sqq.

metricis aut prosodiacis Plautinis scriberent, accentus observandi studium tetigerunt ut R. Klotz [1]) et Fr. Skutsch,[2]) qui potissimum, quantum enclisis in hac re iudicanda valeret, praeter Lindsaium (cf. Bursian 80 [1894] p. 280) docuit.[3])

[1]) Grundzüge altrömischer Metrik (Leipzig 1890) p. 15. 92 sq. 237. 278 sqq 347—354 (de proceleusmaticis).

[2]) Forschungen zur lateinischen Grammatik und Metrik. I. Plautinisches und Romanisches (Leipzig 1892) p. 62. 155 sq. 159.

[3]) Commentatione typis iam mandata certior factus sum de eis, quae Kroll nuperrime de ictus et accentus in versibus duplicis generis consociatione scripsit (Glotta V [1914] 363 sq.). Qui etsi concessit legem „dipodicam" non ex trimetri graeci ratione metrica imitanda fluxisse, tamen istam legem alio ac novo quodam modo defendere posse sibi visus est. „Auch in den lateinischen Versen des genus duplex, inquit, lagen die Hauptikten auf den ungeraden Hebungen: daher waren die auf diese folgenden (inneren) Senkungen die tonschwächsten und die römischen Dichter vermieden es daher, betonte Silben an diese Stelle zu setzen. Von der Einteilung in Metra wußten sie nichts oder kümmerten sich nicht darum, aber die Iktierung der Verse war trotzdem dieselbe geblieben und ergab von selbst jene Rücksicht auf den Wortaccent." Quae de versuum recitatione Kroll opinatur, magis dubia esse mihi videntur, quam ut inde certi aliquid extricetur, praesertim cum ne antiquorum quidem de hac re testimonia inter se consentiant. Accedit, quod, si Krollium sequaris, nihil proficias, nisi ut eadem res alia ratione innitatur. Nam ne ita quidem versus latini in dipodias non discinduntur, in eas quidem, quarum prior arsis maiore ictu efferatur quam posterior. Apud Romanos ipsos autem omnium pedum condicio metrica eadem fuit, id quod vel ex nomine *senarii* elucet.

II.

Pars altera.

Antequam procedatur ad disputationem, quae sit de verborum accentu in versibus Plautinis observato, vel maxime oportere nemo non putabit de linguae Latinae accentu dicere, quid nunc certi constet. Primum quidem si de accentu quaeritur, respiciendum est fuisse duo accentuum genera inter se prorsus disparia, quorum alterum pertinet ad eam verborum pronuntiationem, quae fieri solebat in enuntiatis continuis *(Satzaccent)*, alterum ad singula verba segregata *(Wortaccent)*. Neque hunc verborum accentum omnibus temporibus eundem fuisse constat, quoniam olim omnium vocum prima syllaba acuebatur, postea autem ad trium syllabarum, quae dicitur, normam accentuum ratio derecta est. Nos quidem omnino fere dicimus hunc trium syllabarum accentum. Cuius de natura quid iam cognitum sit, ut dicam, unum id moneo eo iam perventum esse, ut accentum Latinum *exspiratorium*, ut dicunt, fuisse virorum doctorum intellegentium harum rerum existimatorum longe maior numerus fere non neget. Cuius iudicii auctores testesque ipsi poetae comici sunt neque ii contemnendi: nam legem iamborum correptionis, quae dicitur, nullo pacto tantum potuisse valere facile cognoscitur, nisi syllabae accentu gravatae apud Romanos ita elatae tantoque pronuntiationis impetu percussae essent, ut syllabis proximis cum praegressis tum sequentibus nulla fere accentus vis relinqueretur. Neque enim ego intellego, quo alio modo fieri potuerit, ut a poetis scaenicis syllabae natura productae corriperentur, nisi correptio iambica non licentia metrica putanda, sed ad communis orationis consuetudinem referenda sit atque ad accentus naturam. Quae satis esse dicta videntur atque ad res ipsas accedo.

A. De vocabulis tribrevibus et dactylicis.

Magno studio cavisse Plautum, ne accentus et ictus inter se discreparent, adhuc clarissime eo demonstrari posse puto, quod vocum tribrevium paenultimam nunquam et dactylicarum rarissime ictu feriri patiebatur. Ritschl huic rei non tantum tribuit,[1]) quantum decuit, quamquam in his ipsis vocabulis clare elucet id imprimis a poetis cautum esse, ne contra linguae indolem ipsae syllabae ictu metrico efferrentur, quarum pronuntiatio vulgaris levissima erat. Utque erat accentus Latinus exspiratorius, sine dubio in vocabulis *génere* et *túrpia* syllabae mediae omni vi carebant minimeque sonabant, ultimae autem a primae accentu iam satis longe aberant, ut accentum secundarium recipere possent, si non tribrevium, at certe dactylicarum ultimae. — Corssen quidem et Meyer et quicunque accentum prorsus neglectum esse crediderunt cum non nihil sane protulerint, ut multas alias res aliter explanarent, hanc rem expedire nullo modo potuerunt. Quod Corssen[2]) dixit,

nihil est neque quicquam uno exemplo, quod affert *(valídus* Men. 877), probatur, ut infra demonstrabitur. Meyer[3]) necessitate et inopia probandi in errorem raptus est; censet enim pronuntiationem *turpía* poetas Romanos ob eandem causam evitavisse, qua *túrpia* trochaeum efficere non licebat[4]): duas vocis dactylicae syllabas breves ut in thesi ita in arsi eadem ex ratione admissas non esse. Primum id non pertinet ad tribreves, quarum paenultimam acuere Plautus nunquam ausus est, primam autem et secundam saepe in arsi neque ita raro in thesi posuit. Praeterea - id quod Langen recte monuit[5]) — Meyer nihil dicit nisi et *túrpĭă* et *turpía* Plautum in versibus iambicis et trochaicis fugisse, sed quibus ex causis utrumque, non dicit.

Quod autem *túrpĭă* vetitum est, cum Langenio consentio, qui hac re Romanos Graecorum exemplum secutos esse iudi-

---

[1]) Proll. p. 224.

[2]) p. 993 sq.

[3]) p. 38.

[4]) cf. Lachmann ad Lucr. II 719 (p. 116).

[5]) Philol. 46 p. 414 sq.

cavit. Nimirum apud Graecos nunquam praeter Aristophanem, qui liberius versatus est Menandro,[1]) voce dactylica pes trochaicus expleri poterat, sed utique iambicus, quam licentiam ne Menander quidem repudiavit.[2]) Sed si ita res se habet, quaero, cur Romani et illam legem Graecorum neque hanc libertatem suam fecerint. Cui quaestioni ei, qui accentus curam nullam fuisse apud poetas Romanos antiquissimos opinantur, haud scio an satisfacere non possint.

Ut de singulis iudicem, sequar Klotzium, qui voces tribreves nunquam iambum integrum efficere et duos versus, qui contra legem facere videantur, mutandos esse suo iure contendit.[3]) Alterum, quem iam Corssen commemoraverat, alii aliter sanare studuerunt:

Men. 877 *qui ví me cogunt ut valídus insaniam.*

Goetz et Schoell posteriorem partem corruptam esse censent, quamquam ne prior quidem offensione caret, quod Thes. L. L. testante „admodum raro apud antiquiores“ hoc *cogo ut* invenitur: apud Plautum praeter hunc locum Bacch. 508 et Pseud. 206. Accedit, quod mea quidem sententia verbum *validus* huic loco parum convenit, ut non temere Brix et Leo cogitaverint de *valens.* Verbum autem *vesaniendi,* quod Bothe proposuit *(válidus ut vesaniam),* in omni latinitate, siquidem indices sequi licet, tam rarum est, ut apud unum Cassiodorum scriptorem illum saeculo p. Chr. n. VI. florentem uno loco legatur, etsi participium *vesaniens* iam Catullus (XXV 13) scripsit. Itaque hoc verbum procul habendum est. Atque si ultimam vocis *validus* ante tertiam dipodiam ancipitem esse non licet, id quod Leo et Jacobsohn[4]) sibi persuaserunt, nihil relinquitur, nisi ut pronomen *ego* interisse opineris: *validus ego insaniam.*[5]) Neque enim quod Klotz proposuit: *válidus úti / insaniam,* difficultatem expedit. Sed *validús* ante extremam dipodiam Plautum

[1]) cf. Joh. Uhle, de Menandri arte metrica (Monasterii Guestfalorum 1912) p. 109.

[2]) Uhle p. 57 sqq.

[3]) Metrik p. 273 sq.

[4]) Jacobsohn, Quaestiones Plautinae metricae et grammaticae (Gottingae 1904) p. 6.

[5]) (Brix-) Niemeyer[4] (Leipzig 1891) *válidus út ego.*

scripsisse haud scio an eo indicetur, quod pes quintus sextusque una voce conprehenduntur, quam esse post vocem quarti pedis anapaesticam et spondiacam et tribrevem oxytonam artis metricae Plautinae lex erat,[1]) de qua infra pluribus mihi dicendum est. Alter versus (Most. 1100):

quód agas, id agas. quid tu porro vís serére negotium

levi verborum inversione facta facile emendatur (*sérere vis*).

Tribus tamen locis Klotz polysyllaborum per tribreves cadentium paenultimas ictu percuti concessit: Men. 842 *lampadíbus ardentibus,* Pseud. 147 (oct. iamb.) *tonsilía tappetia,* Stich. 378 *tonsilía tappetia.* Atque primi versus excusationem habet eam, quod *lampadibus* vox Graeca est. Cuius libertatem hoc modo satis explicatam esse vix credendum est. Multo autem verisimilius esse mihi videtur, id quod Fleckeisen et Buecheler docuerunt,[2]) scribendum esse *lampadis,* quamquam hanc formam non a primae declinationis voce quadam *lampada, ae,* quae an tum in usu fuerit valde dubitandum est,[3]) ducendam esse existimo, sed a *lampas, adis* ad tertiam pertinente, aeque ac *poematis* dicebant Romani pro *poematibus.* In v. Stich. 378 *tonsilia ét tappetia* habent codices, quibus cur diffidamus nihil est. Inde vero concludere licet ne in altero quidem versu (Pseud. 147) accentui *tonsilía* indulsisse Plautum. Atque facile fieri poterat, ut scribarum neglegentia vocula quaedam velut *aut* omitteretur.

Itaque dubium esse non potest, quin optimo iure dici possit Plautum vocabula tribrevia nunquam ita in versus iambicos et trochaicos recepisse, ut inter ictum et accentum tanta discordia esset, ut syllaba paenultima ictu efferretur, quippe quae tenuissimo aut potius nullo sono pronuntiaretur. Profecto accentum *genére* Plautus prorsus „cane peius et angue“ fugit.

Neque vero eadem diligentia voces dactylicas paroxytonas vitari videmus, quamquam nullo loco admittuntur nisi in primo senarii dimetrique iambici pede et rarissime in quinto septenarii et octonarii iambici, ut qui primi alterius dimetri putandi sint.

[1]) cf. Brugmann p. 32.

[2]) cf. Brix-Niemeyer a. l.

[3]) cf. Jacobsohn p. 6.

Klotz triginta quattuor affert exempla,[1]) quae in illa sede posita sunt: quam pauca prae tanta senariorum multitudine, quorum octo milia fere exstant. Atque ab hoc quoque numero nonnulla deducenda sunt propter codicum fidem incertam.[2]) In singulis fabulis singula plerumque binave exempla inveniuntur, maxime quaterna vel quina ut Poen. 65. 85. 464. 1340. 1348., Rud. 290. 513. 526. 940. 944., Trin. 54. 75. 205. 396. Nullam autem vocem paroxytonam tam facile Plautus videtur tulisse quam *omnía, omníbus.* Praeterea Klotz quattuor octonarios iambicos enumerat, quorum in quinto pede post dihaeresin legitimam i. e. in primo posterioris dimetri eadem licentia est: Bacch. 960 [5] *detúli,* (Bacch. 939 *Bacchídem* primi pedis est), Bacch. 988 [5] *Chrysále,* Pers. 269 [5] *compédes,* Pseud. 185 [5] *nomíne.*

Septenariorum eiusdem generis nulla exempla apud eum inveni praeter Pseud. 171 [5] *dicére,* quem versum errore captus in octonariorum numero posuit. Reliqua exempla, quae quis appellare potest, admodum dubia sunt: de Most. 169 [5] *muliéris* Leo recte iudicasse mihi videtur, qui *mulieris* a librario quodam adscriptum esse censet; in v. Epid. 179 *(Hercúli)* nihil obstat, quin dimetiamur *Hĕrculí* aeque ac Rud. 962 *ăttinét;* Mil. 1281 *nescíoquis* offendi minime decet, quia quadrisyllabi accentum legitimum sequitur. Relinquitur unus versus Most. 746 *istíus.*

Omnibus igitur exemplis perlustratis dicere cogimur quinto septenarii iambici pedi non tantam licentiam esse, quantam primo cuiusvis iambicorum versuum generis. Sed quomodo res se habet in octonariorum quinto pede? Klotzii quattuor illa exempla dubia non sunt; duo alia, de quibus non magis dubitandum est, eius oculorum aciem videntur fugisse: Cas. 931 [5] *subsílit* et Pseud. 151 [5] *vincítis,* ut sexies in trecentis fere octonariis vocem dactylicam neglecto accentu quintum pedem

[1]) Metrik p. 274 sqq., Brugmann p. 42 exempla XXXXIII numerat: neque tamen hoc numerorum discrimine iudicium mutari potest.

[2]) Ex dimetrorum quidem exemplis, quae Klotz exscripsit, maxime dubia sunt Bacch. 624. 656.

efficere statuendum sit.[1]) Unde apparet Plautum in ista sede hunc ictum non tam caute evitavisse quam in septenariis, qui a diverbii sane partibus proxime absunt, attamen satis magno quodam studio et maiore quam in primo pede.

Aliis in sedibus hanc ictus libertatem non ferendam esse existimo. Uno editionis Teubnerianae loco hunc vocis dactylicae sonum in septimo octonarii pede editores admiserunt: Cas. 229 [7] *abstíne manum,* quibus verbis inversis offensionem facile tollas, ut praeclare docuit O. Seyffert exemplis usus Aul. 270 et Ter. Ad. 917, ut legendum sit:

uxór mea meaque amoenitas, quid tu agis? || mánum abi atque ábstine,

nisi haec mutatio levior tibi placet:

ábi ac manum ábstine.[2])

Praeterea in duobus trochaicis octonariis, quos putant, multi scripserunt [7] *hostíbus* (Pseud. 1269) et [7] *suscítet* (Rud. 922). Quod an ferendum sit, valde dubito: si quis octonariis trochaicis maiorem libertatem fuisse censeat, ut qui apud Plautum lyrici sint neque in dialogis locum habeant, contra eum non omnino dicere velim; neque tamen neglegendum est eos non tanta libertate uti quanta anapaestos, in quibus ut *hostíbus* acueret, Plauto prorsus mos erat. Qua de causa haec duo exempla immutari malo, si facile fieri potest. De altero versu (Rud. 922) iam supersedeo labore, cum Leo et Lindsay iure anapaesticum eum putaverint. Similem viam cum eisdem ire possumus ad alterum expediendum (Pseud. 1269), cuius metrum alter aliter disposuit, uterque ita, ut ictus iste insolens absit. Neque mihi quidem displicet Leonis mensura, qui tres ithyphallicos esse dimetiendos censet ita, ut primus catalecticus sit.

Ex aliis exemplis, quae Klotz attulit, unum aliter metiri decet: Bacch. 656, quem versum trochaicum et creticum esse

[1]) Cas. 932 *ĕxeo* [5] *hóc* secundum Leonis mensuram praeferendum esse opinor accentui *exéo hoc,* quem Goetz et Schoell volunt.

[2]) In eadem sede v. Pseud. 1261 Klotz legit *corpóra,* sed versus anapaestice est metiendus.

arbitratur Leo,[1]) Hermann Ritschl Lindsay trochaicum.[2]) Reliqua maxime dubia sunt, ut saepe criticorum emendandi studio petita sint: Pseud. 146 *ut né peristromáta*[3]) (Lindsay *ut ne perĭstrómata quidem | aeque)*, Stich. 737 *méa suavis amabílis* (Koehler p. 54 *méa suavis mellicula amoena* arbitrio excogitatum, ut equidem existimo), Bacch. 614 (oct. iamb.) *ínamabílis inlepidus vivo*; Pseud. 218 *aín excétra tu*[4]) sine dubio octonarius trochaicus ipse quoque est, cuius licentia satis excusatur eo, quod est in lenonis increpitantis oratione valde concitata.

Quoniam Plautum dactylicarum vocum paenultimam ictu efferre interdum certis in sedibus non dubitasse, tribrevium nunquam ausum esse demonstratum est, quaerere oportet, quomodo factum sit, ut, quod illis concedatur, hís negetur. Atque eo difficilius est iudicium, quod Graeci neutrum vitaverunt, ut ab eorum imitatione hanc differentiam ortam esse putari nequeat. Quare qui Meyero assentiuntur, maxime in angustias ducuntur, neque Ritschl ullo loco, quantum scio, dixit, quid de hac re sentiret. Unum Klotzium hanc difficultatem expedire esse conatum inveni,[5]) qui duas causas cognovisse sibi visus est: primam eam, quod *córpora* ad versus iambicos trochaicosque non bene quadraret nisi in versibus cadentibus et in mediis ita, ut ultima in arsi esset sequente brevi — quod monosyllabum esse solet velut *corporá vel* —; *fácile* autem ubique commodum fuisse; quo factum esse, ut huius accentum insolitum facilius evitare possent poetae quam illius. Sed haud scio an Klotz ipse senserit necessitatem vel commoditatem metricam in hac re non multum valuisse ideoque alteram ex-

[1]) *ímprobis cum improbus sit, hárpaget furibus.*

[2]) *ímprobus sit cum improbis hárpaget ⟨cum⟩ furibus*, quam mensuram praefero, cum saepius inveniatur: cf. Aul. 825. 826. Epid. 3–6, 11b et quae alia exempla enumerantur in editionis Teubnerianae conspectu metrorum (VII p. 159).

[3]) cf. Leo a. l.

[4]) Lindsay *ain* extra versum collocandum esse censuit.

[5]) Metrik p. 278 sqq.

cusationem quaesiverit et eam ex accentuum varietate petitam, quae est in *córpora* et *fácile*. Ait enim: „Wir möchten auch noch einen inneren Grund angeben. Bei einer Verwendung der ersten Silbe von corpora in Senkung wurde die Wortbetonung nicht in demselben Maße alteriert, wie es der Fall gewesen wäre, wenn facile mit seiner ersten hochbetonten Kürze in die Senkung gekommen wäre.“ Quod haec verba dicunt, sane dilucidum est neque a sententia mea abest. Quod autem deinceps probandi causa ille protulit, ut aperte dicam, tam confuse dictum est, ut me non intellegere fatear, quid nam sibi voluerit. Sed ut dicam, quid ipse censeam, inde proficiscendum est, quod in *córporà* syllaba extrema iam accentu secundario non ita infirmo praedita est, quem prima in thesi posita adeo augeri necesse est, ut in mediam transire possit. Tribrevis autem vocis antepaenultima tanto ictu percutitur, ut usque ad finem valeat neque ullo modo accentus secundarius oriri possit.[1]) Accedit, quod verbis dactylicis spondiacorum exemplum praesto erat, quod imitarentur, ut quorum mensura metrica eadem sit, etsi causas metricas non tanti fuisse iam indicavi, quanti pronuntiationis et accentuum rationis sunt Neque aliud omittere decet, quod E. Wallstedt recte monuit:[2]) „Et hoc ipsum, inquit, quod nunquam *a|gére* accentus invenitur, documento est binas illas breves syllabas semper conjunctas elatas esse, non separatim.“ Itaque — id quod addere velim — in *agére* duas syllabas artissimo pronuntiandi vinculo cohaerentes diiungi necesse erat, quoniam accentus vulgaris *áger|e* est, in *corpóra* autem posteriores syllabae iam pronuntiationis quadam ratione continebantur, quae *cór|pòra* esse solebat.

[1]) Dignum est, quod commemoretur Germanorum linguam vetustissimam dispari, sed non contrariae legi obtemperavisse. Eius enim accentus ratio ea erat, ut in omnium vocum trisyllabarum ultimam ictus secundarius caderet, si prima, in qua erat primarius, corripiebatur (ex. gr. *frĕmidèr)*; sed dactylicarum aut mediam *(sălìda mín)* aut ultimam *(sălidà gimeíni)* secundario efferri licebat. Vel hic igitur voces dactylicae alteram syllabam acui patiuntur, tribreves non patiuntur: cf. Otto Behaghel, Geschichte der deutschen Sprache (H. Paul, Grundriß der germanischen Philologie I 2) Straßburg 1901 p. 689 sq.

[2]) Studia Plautina p. 18.

Quae accentuum diligentia latius patuit in versibus Plautinis. Quantopere enim sonus *genére* Romanorum auribus displicuerit, vel inde concludere licet, quod voces pyrrhichiacae monosyllaba excipientes multo saepius ita in versus intromittuntur, ut ictus in monosyllabum cadat quam ut in primam pyrrhichiacae syllabam. Plerumque igitur pronuntiatur *ét ego, át ego, úb(i) ego, néqu(e) ego, ét ita, át ita.* Qua de re Radford complura conscripsit opuscula,[1]) qui causam haud perperam explicavit arbitratus propterea accentum *et íta* vitasse Plautum, quod illae duae voces, quod quidem ad accentus rationem pertineat, unius instar sunt tribrevis, cuius mediam syllabam ictu efferri non licebat. Sed utrum *et* cum *ita* per proclisin, ut Radford, an *ita* cum *et* per enclisin cohaereat, ut Lindsay censet, ad nostram causam non multum valet. Hic autem vir doctus magis veritatis fidem servavisse mihi videtur eo, quod non tam gravi lege sanctum fuisse existimat, ne *et íta* aliquotiens Plautus scriberet, sive necessitate metrica cogebatur, sive locos quosdam e lege prorsus excipere solebat, ubi pyrrhichiaca vox monosyllabum excipiens erat gravior, si totam sententiam respexeris, quam ceterae enuntiati voces. Exempli causa affero Most. 528 sq.:

Hércules ted invoco
et égo — tibi hodie ut det senex magnum malum.

Atque ipse Radford nullum discrimen facere non potuit, immo legitimum esse accentum ⏑, ⏑́ ⏑ concessit enuntiationis fine post monosyllabum intercedente velut Men. 889 *égo sci(o). | égo me* et Stich. 485 *apertiore magis vi(a): íta* ....

Sed ex triginta fere huiusce modi exemplis, quae Lindsay collegit ex undecim fabulis ab illo non excussis, nonnulla ad probandum nihil mihi videntur valere, in quibus voces pyrrhichiacae contra illam legem accentum habeant, sed excipiantur encliticis, quae artius cum eis cohaerent quam proclitica illa: Cas. 427 et Cist. 111 *quid ópus est,* Stich. 61 *quod ópus sit,* Merc. 602 *ut(i) égo sum,* Pseud. 200. 872 *it(em) égo te,* Pseud.

[1]) De quibus optime rettulerunt atque iudicaverunt Lindsay (Bursian 130 p. 162 sqq.) et Fr. Skutsch (Vollmoeller, Kritischer Jahresbericht über die Fortschritte der romanischen Philologie Bd. 8 [1904] p. 46).

619 *sed úbi tu;* praeterea Epid. 453 *pol egó* et Pers. 469 *ia erit* legere malo quam *pol égo* aut *id érit,* ut uterque versus a proceleusmatico incipiat.

Sed ut ad summam rei revertamur, iam non dubium esse puto, quin suo iure accentum *et íta* Radford comparaverit cum *genére:* uterque a Plauto evitatur, quamquam ille non eadem cura atque hic. Neque id unum est. Idem docuit[1]) verba *á patre, ín mare, ín caput, quáe facis, ét tamen* composita esse ideoque in primam secundae vocis syllabam ictum non cadere nisi in primo versuum iambicorum pede. Unde elucet haec verba coniuncta et eadem libertate et eadem severitate accentus uti atque verba dactylica, quae ipsa nisi in eadem sede paroxytona esse non solent.

B. De proceleusmaticis.

Haud ita raro apud poetas scaenicos Latinos quattor syllabae correptae deinceps pronuntiatae inveniuntur, quibus est nomen *proceleusmaticis.* Atque distinguendum est inter proceleusmaticos iambicos, qui iambici pedis loco sunt, et trochaicos, qui trochaici, nullo discrimine facto, utrum in versibus iambicis an trochaicis invenias. Idem dicunt nomina proceleusmaticorum ascendentium (⏑⏑⏑́⏑) et descendentium (⏑́⏑⏑⏑). Atque ita res se habet, ut, quin illud genus Plautus non reformidaverit, nemo fere dubitet, hoc non pauci, in quibus Ritschl,[2]) neque id iure, ut ego existimo. E poetis Graecis Aristophanes proceleusmaticis hic illic videtur indulsisse, Menander nunquam,[3]) apud quem si quattuor breves admissae sunt, non unam arsin et unam thesin aut invicem thesin et arsin efficiunt, sed ubique maiorem versus partem ut in hoc trimetro (Epitr. 56):

εἰχόμε / νος ἄγα / θά. λαμβάνων μου κατεφίλει

et in hoc tetrametro (Sam. 206):

ἐμὲ γὰρ / ὑπονο / εῖν τοιαῦτα τὸν μιαρὸν ἐχρῆν ἐμέ.

[1]) cf. Bursian 130 p. 166.
[2]) Proll. p. 290 sqq.
[3]) cf. Uhle, qui (p. 71 sqq.) duo exempla ab Ahlbergio (p. 2) allata repudianda esse recte censuit.

Itaque Romanos, cum maiorem licentiam sibi sumerent, nihil impedivit, quin suae linguae naturae proceleusmaticos accommodarent, quoniam Graecorum exemplum eis non erat atque liberi erant a studio imitandi. Neque tamen nullis legibus suam ipsorum libertatem circumscripserunt, sed eis, quas verborum tantum accentu effectas esse negari nequeat, id quod eos neglexisse dedecet, qui accentus vim minimam aut nullam fuisse iudicaverunt. Rem ipsam enim iam Ritschl[1]) animo perspexerat: nunquam proceleusmaticos una voce expleri (*misería)* aut monosyllabo et tribrevi *(et edépol)* aut hoc modo ◡, ◡ ◡́, ◡ *(pol legé quid).*[2]) Cuius rei causam hanc recte statuit: istiusmodi proceleusmaticos, quod cum accentu pugnent, Plautum non admisisse. Tum Klotz uberius de eis disseruit nihil aliud assecutus, quam ut proceleusmaticos trochaicos defenderet.[3]) Denique Axel W. Ahlberg[4]) omnibus exemplis ex Plauto Terentioque congestis et dispositis totam materiam exhausit et praecipue demonstravit ascendentium theses effici solere vocibus bibrevibus aut binis monosyllabis correptis aut monosyllabis coniunctis cum bisyllabis synaloepha quasi decurtatis, atque id eam ob causam, quod hoc modo commodissime ictus et accentus consociare licebat.[5]) Etiam aliam si formam theses habent, non facile verborum accentus negleguntur. Cuius ex generis exemplis[6]) nonnulla profero, quia plurimis excusationem aliquam esse apparet:

Amph. 893 *id Ămphítruoni offuit* in synaloepha ictus repugnantia minus audiri postest;

[1]) Proll. 289.

[2]) In eum quidem errorem inductus est, ut etiam tribrevem et monosyllabum reiceret *(edepól et).*

[3]) Metrik p. 384 sqq.

[4]) De proceleusmaticis iamborum trochaeorumque antiquae scaenicae poesis Latinae studia metrica et prosodiaca I, II. Lundae 1900.

[5]) cf. I p. 7: „proceleusmaticos enim iambicos in versus non intruserunt [poetae scaenici], nisi post alteram brevem syllabam vocabulum finitur, atque tertia brevis, in quam ictus versus cadit, accentu vocabuli percutitur."

[6]) cf. Ahlberg I p. 25–35.

Bacch. 298 *e(o) ĕxánimatus fui* offensionis nihil habet, quia clausulae difficultate satis excusatur;

Merc. 782 *sequimíni* primi pedis licentia utitur.[1])

Ut magnopere cavit Plautus, ne tribrevis vocis paenultimam ictu percuteret, ita decies eam proceleusmaticorum formam admisit, ut in ultimam ictus caderet,[2]) quem usum inde ortum esse puto, quod saepius tribreves ultimis positione productis anapaesticae vocis funguntur: Men. 125 *loquitúr,* Men. 138 *geniúm,* Capt. 225 *etiám,* Capt. 585 *aliquíd.* Neque tamen in eiusmodi proceleusmaticis tanta ictus et accentus discordia est, ut Plautum non admisisse non habeam cur Ritschelio credam.

Asin. 563 *ubĭ părĭetis* accentus non insolitus est.

Licet igitur non semper contigerit Plauto, ut proceleusmaticorum accentus accuratissime servaret, certe studium servandi minime deest, cum ictus, ut est *sequimíni,* qui maxime abhorreant ab accentu, nisi ubi etiam *corpóra* scribi liceret, nusquam inveniantur.

De descendentibus proceleusmaticis paucis rem absolvere licet. Quoniam longe maxima pars ita comparata est, ut in arsi vox duarum syllabarum sit,[3]) rarissime accentus neglegitur neque equidem, cur de his proceleusmaticis dubitem, habeo. Si enim in accentu neglecto aut observato indicium inesse putas, id non facit contra descendentes. Nam ne in eis quidem, qui polysyllabo efficiuntur, summam accentuum discordiam statuendam esse puto. Accentus quidem, ut sunt *Phílopolemús* (Capt. 157) *véhicula* (Aul. 502), *bénefició* (Asin. 673), contra priscae quidem latinitatis consuetudinem videntur non fecisse, siquidem eis adsentiendum est, qui putant aetate priore accentum in primam cuiuslibet vocis syllabam removeri consuevisse. Qui accentus quadrisyllabis ut *fáciliús* prorsus legitimus apud Plautum est atque W. M. Lindsay[4]) eo processit, ut in eis non obsoletum pronuntiandi usum, sed linguae vulgaris consuetudinem apparere censeret.

[1]) De Bacch. 893 *(Minerúa??)* cf. Leo a. l.

[2]) Ahlberg I p. 33.

[3]) cf. Amph 90. 947. Omnia exempla congessit Ahlberg II p. 5 sqq.

[4]) Philol. 51 (1892) 373 sqq.

C. De vocabulis anapaesticis spondiacisque et in spondeum aut anapaestum cadentibus.

Iam progressi sumus ad eam partem, quae maxime hominum doctorum, qui de accentu scripserunt, controversias movit. Nam ut omnes consentiunt Plautum vocabula spondiaca et anapaestica non sivisse oxytona esse nisi certis in sedibus posita et angustis finibus hunc usum circumscriptum esse, ita acriter certatum est, quam ob causam istas leges poetae scaenici sibi praescripsissent. Atque duae potissimum sententiae inter se pugnantes prolatae sunt: altera ab eis, qui accentus observandi causa id factum esse censent, altera a Meyero, qui hanc legem „dipodicam" esse contendit, quam poetas secutos esse opinatur, ut Graecorum legem dipodicam neglectam novo ac proprio modo reficerent. Praeterea hanc quoque causam valuisse idem existimat, quod poetae Latini caesuris versus incidere diligentius studuissent Graecis.

Quoniam Ritschelii partes ego sequor, optime eius auctoritatem augeri puto, si profero, quidquid contra Meyerum dici potest.

Multa quidem iam Langen [1]) feliciter monuit velut Plautum, si Graecorum legem imitari studuisset, non in voces anapaesticas suam referre debuisse, cum anapaestis comici Graeci indulsissent in omnibus trimetri tetrametrique sedibus excepta ultima. Quod Meyer [2]) illam legem factam vel excogitatam esse putat ab eo, qui primus trimetros tetrametrosque latine vertendos suscepisset, quaero, quomodo id fieri potuerit. Neque enim unquam poetae Latini, quotienscunque a Graecorum versificandi rationibus abscedebant, temere leges novas excogitare et statuere solebant, nisi quae ex ipsorum linguae natura quasi sua sponte effluebant. Atque vero mirum non esse non potest eos ipsos, qui tot aliis in rebus liberius versati sunt quam exemplaria Graeca, novas quasdam regulas finxisse, nisi necessitate multa adducebantur atque gravibus causis, quibus Graecorum lingua carebat. Itaque factum est, ut Meyer suam sen-

[1]) Bemerkungen über die Beobachtung des Wortaccentes im älteren lateinischen Drama. Philol. 46 (1887) 400—420.
[2]) p. 39.

tentiam probare non potuerit, cum ne de caesuris quidem utique recte iudicaverit, ut infra demonstrabitur. Uno tantum loco veram interpretationem attigit atque eam, quam ad accentum referendam esse dices, si eius verba recte interpretatus eris. Scripsit enim: [1]) „Andererseits ist das Gewicht einer Silbe, die zugleich Wortschluß bildet und vom Versaccent getroffen wird, ein so schweres, daß dieses schon ausreichend erklärt, warum ein Mann, der fremde Formen einer noch ungelenken Sprache anpassen wollte, darauf verfiel, gerade diese betonten Wortschlüsse besonderen Regeln zu unterwerfen." Quibus a verbis cur dissentiam, nihil habeo: sed quae est ista *gravitas* syllabae ultimae ictu metrico elatae? qua de causa eam syllabam *gravem* putavit ille, quicunque iambis et trochaeis Latinis leges tulit? Quid? quare ultimae acutae *graves* non erant nisi vocum spondiacarum et anapaesticarum? quidni iambicarum, quarum oxytonesin nulla lege circumscriptam Plautum tulisse Meyer quidem opinatus est? Ac si ultima syllaba elata longior vel potius gravior esse putabatur quam quaevis alia longa, nonne propterea, quod illius accentus vulgaris contemnitur, huius observatur? Equidem non intellego, qua alia ex causa pronuntiationem *multó* graviorem quis putet quam *múlto.* [2])

1. De senario iambico.

Ne plura dicam contra ipsam illius opinionis rationem utque meam sententiam confirmem, primum de senario iambico verba faciam. Atque id unum si spectemus, quibus in sedibus voces anapaesticas et spondiacas acutas invenias, iam de lege dipodica actum esse censeo. Nam quod in primo et quinto pede eis locus datur, non aliae nisi metricae causae valuerunt: primi licentia nota est et quinto eadem conceditur, quod thesin paenultimam longam aut bibrevem esse necesse est. Hoc loco de accentu cogitandum non est, cum causa prorsus metrica sit. [3]) Nam conspicuum est cuiuslibet generis versuum clausulas singularibus quibusdam ac propriis legibus uti, quarum rationem

[1]) p. 106.
[2]) cf. Skutsch, Vollmoellers Jahresberichte Bd. I (1890) p. 36.
[3]) cf. Langen p. 410. Meyer p. 39 sqq.

ut penitus perspiceremus, plerumque nobis adhuc vix contigit.[1]) Neque tamen mirum esse mihi videtur Romanos clausulam diiambicam inlepidam putasse atque fugisse, quod reliqui senariorum pedes graviores esse solebant: quomodo fieri poterat, ut admissa ista clausula huius versus monstrum gigneretur:

– –̇ – – – –́ – –̇ | ⏑ –́ ⏑ –́.

Quotienscunque igitur pedem ultimum voce iambica aut pyrrhichiaca occupari cupiebant poetae, quin in proximo contra accentum pugnaretur, fieri non poterat.

Extremam autem ante dipodiam i. e. in quarto pede voces, de quibus nunc disputatio est, oxytonae tam multae inveniuntur, ut exceptiones eas putare dedeceat, immo[2]) „ut certae normae constantia determinata merito nomen inveniant legitimae licentiae.“ Etenim in hunc pedem quinquaginta sex receptae sunt, quas quidem O. Brugmann numeraverit.[3]) Accedit magnus numerus polysyllaborum choriambicorum molossicorum ionicorum, quae ab eodem collata non sunt. In quinque quidem fabularum[4]) senariis i. e. in MCM fere versibus triginta inveni exempla eius formae, ut est $\overset{3}{\textit{Aétoli}}$ *cum Aleis* (Capt. 24), neque securus sum, ne unum alterumve me fugerit. Si ex hoc numero coniecturam facere licet, verisimile est in omnium fabularum senariis plus centum inesse atque, si vocum anapaesticarum et spondiacarum numerum addideris, efficitur, ut in senariis 160^{ies} fere contra legem dipodicam peccatum sit, atque id in uno pede. Qua ex ratiocinatione satis dilucide apparere mihi videtur hanc legem nullam esse neque in hac re Graecorum legem imitandi studium viguisse.

De secundo tertioque senarii pede nunc mihi dicendum est. Quos locos propter caesuram non fuisse idoneos, in quos istius generis vocabula oxytona irreperent, sane suo iure Meyer contendit. Sed qua de causa caesurae ipsae apud poetas

---

[1]) cf. F. Marx, Zwei Auslautsgesetze der katalektischen iambisch-trochäischen Verse der altlateinischen Dichter. Leipz. Ber. Phil.-hist. Klasse 59 (1907) p. 196.

[2]) Ritschl, Proll. p. 211.

[3]) p. 22. 35.

[4]) Capt. Men. Mil. Stich. Trin.

scaenicos Romanos nunquam fere neglectae essent, hoc demonstrare omisit. Graecorum enim usus multo liberior est cum Aristophanis,[1]) cuius trimetrorum decima fere pars caesura legitima caret, tum Menandri, qui ultra huius fines progressus quintam fere partem nullis caesuris scripsit.[2]) Itaque cum Graecorum libertas per tempus aucta esse videatur, Romani ab initio summam diligentiam adhibuerunt, id quod alioquin eorum artis metricae tum quidem minime proprium erat.

Quod unde factum esset, ut interpretaretur, adhuc nemini contigit, nisi qui ex accentus observandi studio id ortum esse putat. Quo concesso res facile expeditur. Erat enim caesura semiquinaria eiusmodi, ut commodissime fieret post vocem trochaicam (spondiacam) aut trochaice (spondiace) cadentem, cuiusmodi apud Graecos quoque plerumque caesurae sunt.[3]) Hoc modo in secundam senarii arsin accentus vocabuli cadere necesse erat. Qua commoditate poetae Latini cum semper frui possent, eam consuetudinem tenebant, a qua absistere non audebant nisi certis ex causis.[4]) Quo factum est, ut non minus Graecis monosyllabum tertiam senarii thesin occupans vitaverint, cum ita in versibus difficilius esset accentus observare. Ubi tamen monosyllaba ante caesuram admiserunt, enclitica[5]) et non enclitica, ut ex Plauti usu elucet, diligenter distinguebant: quae enclitica non sunt, omnia fere vocem bibrevem aut alterum monosyllabum aut verbum creticum sequuntur accentu non neglecto, qualia exempla in fabulis Most. Poen. Trin. quinquaginta fere inveni (velut Most. 26. 79. 421; Poen. 22. 81. 152; Trin. 65. 69. 130), cum octo tantum a consuetudine abhorreant: Most. 537 $\overset{2}{\textit{adést}}$ *qui*, 606 *quidém nisi*, 658 *bonó cum iure*; Poen. 204 *priór quae*, 503 *diém iam*, 684 *quidém quors(um)*; Trin. 32 *licét iam*, 497 *sciás hic*, quibus in versibus caesuram

---

[1]) cf. Meyer p. 53.

[2]) cf. Uhle p. 25.

[3]) Apud Menandrum CCCXL fere versus inter DXX, qui semiquinariam habent: cf. Uhle p. 11. 13.

[4]) cf. Langen p. 417 sq.

[5]) Pro encliticis habeo praeter verbi substantivi formas pronomen personale et possessivum, cuius opionis rationem reddam in extrema disputatione.

semiseptenariam statuendam esse verisimile est (cf. Most. 658). Ne fortuito id factum esse opineris, Menandrum appellare licet. Cuius inter exempla triginta sex sunt voculae non encliticae viginti ante caesuram semiquinariam positae[1]) atque octies (Eptr. 42. 217. 351. 467. 480. 481. Pericir. 221. frg. inc. II 2 Körte) ita, ut ictus, si Graecae linguae accentus eiusdem naturae esset ac Latinae, contra eum non pugnare non posset. Itaque ut apud Menandrum tertia fere pars accentum non respexisset, ita apud Plautum ne sexta quidem nor. respexit. Quod ad voces encliticas attinet, quae eodum loco inveniuntur, prorsus aliam rationem valuisse apparet: numeravi enim in eisdem fabulis duodetriginta, quibus verborum anteeuntium accentus laederentur, nisi eis vis enclitica esset.[2]) Atque ad tantam libertatem Plautus processit, ut 11ies in tribus illis comoediis ne anapaesticarum quidem aut spondiacarum vocum ultimas acuere dubitaverit sequente enclitico: Most. 605 *faenús mihi;* Poen. 202 *multó post,* 440 *intér nos,* 991 *nullús mest,* 999 *nesció quid,* 1360 *multó post;* Trin. 3 *illáe sunt,* 146 *circúmspicedúm te,* 397 *animó fit*, 458 *aliúd vis,* 541 *scabráe sunt.* Ac ne bisyllaba quidem enclitica in ea sede collocata Plautum omnino vitavisse haec exempla docent: Most. 605 *faenús mihi* (cf. s.), 606 *quidém nisi,* 779 *noviciúm mihi;* Poen. 498 *tuúm mihi;* Trin. 86 *tamén mihi,* licet in tertio accentus genuinus servetur.[3])

Quibus in rebus longius aequo fortasse moratus sum, sed consulto. Primum enim contra Meyerum demonstrare studebam, quod de secundi pedis vocibus anapaesticis et spondiacis sentit, idem ad iambicas pertinere, quarum accentum in secunda arsi ne neglegeret, eodem fere studio cavebat Plautus, licet earum accentum hic illic laedere non dubitaverit scil. ante monosyllaba soluta et libera; nam enclitica sive voces anapaesticas spondiacasve sive iambicas sequuntur, nullam efficiunt ictus et accentus discrepantiam. Tamen inde optime concludi posse censeo hanc secundi pedis cautionem non ad legem illam

[1]) cf. Uhle p. 12.

[2]) ut Poen. 35 *viris sit,* 745 *malde rei.*

[3]) Haud ignoro in his versibus cogitatum esse de *mi* et *ni.* Sed huic coniecturae cum aliae res obstant tum codicum auctoritas.

Meyerianam referendam esse, sed ad accentus et ictus conciliationem, quoniam ad iambicas quoque voces nescio quomodo pertinet. Praeterea id agebam, ut iam nunc praedicarem, quanta encliseos vis esset iudicanda, cui explicandae infra magis dabo operam.

Sed ut ad huius, quae est de senario, partis exitum perveniam, quod in secundo et tertio pede vitantur accentus, quales sunt *omnés* et *videó,* id non lege dipodica factum est, immo factum est cum caesura tum studio consociandi ictus et accentus. Postremo si quis aliter censeat, intellegi non potest, cur Romani illam Graecorum quasicaesuram Porsonianam imitati non sint, quam illi tam saepe admiserunt,[1]) eam dico, quae est post tertiam arsin sequenti monosyllabo elisione sublato. Si legem suam recte Meyer statuisset, mirum est, quod nunquam tales versus poetae condiderunt, qualis hic est, quem ego finxi:

studébat ille eadém quae | accuras, quae facis.

Nam vocem anapaesticam oxytonam sedis *exterioris* propriam esse Meyer putat neque hac admissa caesura Romani contra illam legem peccavissent, ut ne Menander quidem contra suam peccavit, qui in eiusmodi versuum tertia thesi anapaestum aut spondeum ponere minime dubitavit.[2]) Praeterea vel caesurae magis quam legi Meyerianae attribuendum esse, quod pes secundus vocibus oxytonis carere solet, inde concludi posse censeo, quod plurimi versus, qui contra eam rationem faciunt, caesura semiseptenaria videntur instructi esse, id quod eae potissimum pedis alteri voces iambicae docere possunt, quae voculis non encliticis exipiuntur. Conferas quaeso haec exempla:

Most. 537 *danísta adest qui dedit* ⏑ – ⏑ – ⏑ –
„ 658 *nec mínus bono cum iure | quam danisticum*
Poen. 204 *haec ést prior quae meum erum | dementem facit*
„ 503 *in húnc diem iam tuos sum | mercennarius*
„ 684 *illúd quidem quorsum asinus | caedit calcibus*
Trin. 32 *eorúm licet iam metere | messem maximam*

[1]) cf. Uhle p. 20, ubi viginti sex exempla Menandrea collata sunt.

[2]) cf. Menand. Her. 17. Epitr. 57. 81. 87. 94. 142. Longe maxima exemplorum pars eiusdem generis videtur esse.

2. De septenario trochaico.

De senario haec dicta sunto. Similem rationem secutus de septenario trochaico ut dicam, quibus in sedibus vocabula spondiaca et anapaestica aut in huiusmodi syllabas cadentia offensione libera fuisse videantur, magnopere adiuvor opusculo illo H. Koehleri, cuius iam feci mentionem. Primum quidem quaestio exsistit, num in hoc versuum genere legem dipodicam tantum valuisse credendum sit, quantum se probavisse Meyer sibi persuaserit. Quam si Plautus secutus esset, in secunda arsi huiusce modi voces oxytonas ponere vetitus esset. Sed longe alia res est neque Meyer ipse in hoc pede exceptionem prorsus legitimam esse poterat non concedere.[1]) Atque tamen septenariorum primum pedem *interiorem,* ut dicunt, et alterum *exteriorem* inter se comparare licet, ut ita dicam, aequo Marte, id quod in senariis non licebat, quoniam eius thesis paenultima brevi syllaba effici ratione metrica vetabatur et prope secundum et tertium pedem caesurae erant. Sed si exemplorum conspectum a Koehlero compositum[2]) secutus exquiras, quotiens in tertia septenariorum arsi ea repugnantia ictus et accentus fiat, quotiens in secunda (scil. in vocibus anapaesticis spondiacis molossicis choriambicis ionicis bacchiacis), huius numerus DCCCXXII efficitur, illius DCCLXXIII, i. e. in *interiore* pede aliquanto saepius discordia est quam in *exteriore.* Sed etiamsi propter maiorem versuum ineuntium licentiam legem neglectam esse cum Meyero opineris, tamen intellegi non potest, quomodo fieri potuerit, ut exempla e lege excipienda alterius pedis plura sint quam ea, in quibus lex omnino non valet, tertii pedis. His igitur secundae et tertiae arseos exemplis inter se collatis, in quibus aliae causae non valuerunt, quibus alteruter numerus aut augeri aut minui possit, maxime commoveor, ut legi dipodicae prorsus diffidam.

---

[1]) p. 43: „Von diesem Dipodiengesetz gibt es eine prinzipielle und manche vereinzelte Ausnahme. Die erste Senkung des trochäischen Septenars geht ganz gewöhnlich mit der folgenden zweiten Hebung unreine, spondeische oder anapästische, Verbindung ein."

[2]) p. 84.

Aliam viam ad huius pedis libertatem interpretendam E. Wallstedt[1]) ingressus est. Etenim cum iam Ritschl[2]) studuisset comprobare septenarium trochaicum e cretico et iambico senario coaluisse, hanc sententiam ille longius persecutus legenti vult persuadere ob hanc ipsam causam illarum vocum in secunda arsi oxytonesin Plautum sibi indulsisse. Qua in re erratum esse a Ritschelio persuasum habeo et, qua de causa ut dicere mihi liceat, veniam peto. Si post creticum illum vera caesura esset aut esse posset, ibi eas res non omnino deesse expectandum est, quibus aliae caesura iambicae indicantur velut ea, quae est post quartam arsin septenarii et octonarii iambici: primum incisionem cum verborum tum enuntiationis eo loco fieri solere atque quasi legitimam esse, deinde syllabam ultimam ancipitem i. e. brevem longae loco esse licere necesse est. Utrumque ab iambicorum versuum caesuris iambicis alienum non est, in hac autem, de qua disputatur, pseudocaesura maxime dubium est, licet H. Jacobsohn[3]) aliter censuerit. Koehler[4]) quidem aperte demonstravit semper vocum pyrrhichiacarum tribrevium dactylicarum trochaicarum syllabas ultimas et breves, quotiens in secunda arsi sunt, duabus aliis brevibus excipi, quam rem legem quandam esse recte contendit.[5]) Itaque syllabae ancipites hoc loco esse non possunt, quoniam dubium non est, quin haec vera scansio sit: _ ⏑ ⏑́, ⏑ / ⏑ _, non haec: _ ⏑ ⏓ / ⏑ ⏑ _. Deinde non iniuria dubitari posse puto, an post primum septenarii creticum tam saepe enuntiationis finis interveniat, ut caesuram fieri putare liceat. Animadverti enim ex eis ipsis versibus, quos Wallstedt suae sententiae probandae causa excussit, nonnullos cum eius opinione prorsus pugnare ut Bacch. 682 *quí in mentem venit,* 1145 *quía nostros agnos,* imprimis Capt. 950 *úbi / estis vos? ite actutum,* Mil. 756 *quód*

---

[1]) Studia Plautina p. 93 sqq.

[2]) Proll. p. 232.

[3]) Quaestiones Plautinae p. 7 sqq., cuius opinionem nec Lindsay secutus est (Bursian 130 p. 214) nec Sonnenburg (Ind. Forsch. Anz. XVII p. 18).

[4]) p. 55 sqq.

[5]) De duobus exemplis, quae contraria esse dicat quis (Aul. 232 ét te utár iniquiore, Merc. 920 ómnibüs hic ludificatur), Leo recte videtur iudicavisse.

eorum caussa obsonatumst, Most. 1074 *ádgrediar hominem: appellabo,* Trin. 941 *súb solio Jovis? ita dico,* 1169 *quíd quassas caput? cruciatur,* quos versus incidi non post secundam arsin, sed post secundam thesin aut tertiam arsin manifestum est. Ut ad certum iudicium pervenirem, trium fabularum exempla perscrutatus cognoscere studui, quotiens illam caesuram esse, quotiens abesse ipsis verbis indicaretur. Ubi enim verba pronuntiatione et sententia coniuncta diiungi necesse est, de caesura dubitandum esse existimo. Magna quidem versuum pars ambigua est, ut qui nec pro nec contra caesuram faciant: Mil. 214. 219. 257. 301. 327 atque triginta alia exempla. De reliquis huius fabulae exemplis ita iudicavi: faciunt

I pro caesura	II contra caesuram
240 *tam similem, quam*	157 *videritis alienum, ego*
248 *ne titubet, si*	161 *extra unum Palaestrionem*
250 *quid agimús?*	166 *nescioquid malefactum*
266 *si invenio, qui vidit*	193 *nam mulier ho / litori*
297 *primumdum, si*	206 *concrepuit digitis:*
316 *quid, nusquam?*	212 *quoi bini custodes*
429 *quíd metuis?*	228 *magnam illic homo*
453 *lege agito: te*	249 *sed si ambas videre in uno*
635 *immo hospes, magis*	258 *de gemina sorore*
693 *flagitiumst, si*	261 *qui fuerit conservos,*
696 *iam pridem, quia*	273 *certo edepol scio me*
711 *sacrificant, dant*	326 *vae capiti tuo.*
722 *metuerem, ne*	334 *meus illic homost:*
774 *quam institui.*	344 *consiliumst ita facere*
807 *memineris, ne*	345 *agedum ergo face.*
809 *meminero, sed*	433 *certe equidem noster sum*
1137 *sequimini, simul*	436 *quis igitur vocare?*
1175 *sat habeo. nunc*	462 *visanest ea esse?*
1205 *quae voluit, quae*	473 *magis hercle metuo.*
1365 *si id facies, tum*	630 *clare oculis video,*
1429 *iam dudum.*	649 *ó lepidum +semine,*
1437 *magis metuant,* minus	

	669 *quid ad illas artis*
	725 *ó lepidum caput*
	735 *qui homines probi essent*
	751 *quin tu istanc orationem*
	756 *quin eorum caussa*
	778 *itaque omnes se*
	953 *immo omnis res*
	965 *nuptanest an vidua.*
	1149 *facile istuc quidemst,*
	1155 *mulieres tres:*
	1182 *praecinctus aliqui:*
	1359 *muliebris moris discendi,*
	1395 *facite inter terram atque.*

Qui exemplorum numeri si inter se comparantur (22 : 34), fieri non potest, quin dicatur, maiorem partem illi caesurae statuendae impedimento esse. Idem Menaechmi et Mercator fabulae docent, de quibus, cum longum sit omnia exempla proferre, satis habeo dicere numeros esse 17 : 21 et 26 : 28 Quae cum ita sint, Ritschelium erravisse apparet ac Wallstedtium, qui „priorem hemistichii partem creticum, non dipodiam trochaicam esse“ [1]) opinatur propter interpunctionem illo loco potissimum interdum factam; nullo igitur hic iure ad huius cretici licentiam oxytonesin ab accentu abhorrentem rettulit.

Ut ad quartum septenarii trochaici pedem transeamus, cum Koehlero consentio „summam fuisse Plauto hoc loco verborum accentus servandi facultatem“. Neque iam is dubitavit, quin vocabula anapaestica et spondiaca admissa non sint ita, ut in ultimam ictus metricus caderet, nisi enclitico secuto,[2]) quamquam de nonnullis Koehler incertus est. Sed contemplatus ea exempla (Amph. 347 ^{4}*servós sum,* Aul. 462 *temptát me,* Curc. 628 *servá me,* Mil. 630 *perníx sum,* Pers. 517 *quantúm tu,* Poen. 858 *salvós sis*) meo iure quaerere mihi videor,

[1]) p. 97.

[2]) cf. Asin. 168. Capt. 420. 854. Cist. 111. 517. Trin. 880. Koehler p. 20 sqq.

num fortuito factum sit, ut nisi formae verbi substantivi et pronominis personalis monosyllaba non sequantur.[1]) Cui legi etiam voces trochaicas oboedire ex his exemplis facile cognoscitur: Bacch. 83 *essé*^{4} *tibi,* Pseud. 648 *intér erum,* Trin. 623 *intér eos.* Uno in versu Stich. 741 difficultas exsistit, ubi editores codicum auctoritatem secuti sic scripserunt:

sí amabilitas tibi nostrá plăcĕt, si tibi ambo accepti sumus.

Si quis hanc ictus licentiam in quarto pede tolerandam non esse censet, versum ita scribere licet, ut encliticon *tibi* excipiat vocem trochaicam oxytonam:

sí amabilitas placet nostrá tibi, si tibi ambo accepti sumus.[2])

Nam bisyllaba enclitica ante dihaeresin posita interdum Plautus videtur admisisse (cf. Amph. 366 *maló tuo*), de qua re infra mihi dicendum est.

Quibus legibus quarti pedis voces iambicae utantur, ex Koehleri disputatione non elucet, cum omnia quidem exempla numeraverit, non omnia exscripserit. Tamen notandum est in versibus XLIII, quorum verba ab eo laudata sunt, — quae est tertia fere summae pars — quattuor tantum enclisi non excusari[3]): Amph. 592 *potést*^{4} *nam,* Most. 381 *patrís nunc,* Rud. 424 *quoius modí: tum,* Trin. 321 *placét nec.* Sed ut accurate iudicari liceat, trium fabularum omnia exempla colligere animum induxi haud secus atque in eis monosyllabis, quae senarii caesuras antecedunt. Quod inveni, ex hoc conspectu apparet.

---

[1]) Pseud. 937 falso in hoc numero habetur, quia anapaesticus est.

[2]) Koehleri coniectura *sí amabilitas tibi placét nostra, ambo si accepti sumus* loci impedimenta non superantur.

[3]) Encliticon *quidem* monosyllabum aut vocem bibrevem excipiens cum ictu percutitur (Cas. 300 út quidém^{4} pol, Cist. 87 nísi quidém^{4}, cum), accentus non laeditur, quod *ut quidem* vocis creticae (dactylicae) vice fungitur.

I. Voces encliticae

	Summa	excipientes vocem iambicam oxytonam	excipientes aliam vocem accentu servato
Most.	14	vv. 827. 1129. 1132.	vv. 364. 366. 370. 399. 816. 1116. 1136. 1144. 1150. 1156. 1181.
Poen.	29	vv. 574. 856. 866. 928.	vv. 288. 291. 332. 348. 359. 364. 395. 402. 404. 537. 544. 550. 580. 581. 600. 893. 913. 924. 1282. 1296. 1300. 1400. 1407. 1413. 1421.
Trin.	34	vv. 661. 708. 861. 1017. 1065. 1067. 1123.	vv. 325. 372. 606. 633. 636. 664. 687. 689. 698. 703. 856. 917. 930. 954. 978. 984. 988. 994. 1011. 1050. 1062. 1064. 1066. 1076. 1078. 1162. 1171.
Summa	77	14	63

II. Voces non encliticae

	Summa	excipientes vocem iambicam accentu neglecto	excipientes alias voces accentu servato
Most.	28	vv. 289. 381. 907. 1130.	vv. 284. 296. 362. 371. 386. 393. 406. 811. 817. 843. 946. 949. 969. 987. 1081. 1087. 1098. 1107. 1141. 1145. 1169. 1173. 1175. 1178.
Poen.	19	v. 1287.	vv. 265. 272. 289. 329. 345. 352. 355. 363. 373. 400. 559. 592. 839. 876. 914. 1225. 1279. 1414.

	Summa	excipientes vocem iambicam accentu neglecto	excipientes alias voces accentu servato
Trin.	46	vv. 321. 630. 922. 1143.	vv. 306. 311. 316. 320. 328. 329. 331. 334. 341. 354. 355. 362. 366. 387. 391. 639. 648. 651. 660. 684. 696. 709. 715. 850. 870. 871. 879. 886. 913. 929. 956. 1016. 1057. 1058. 1061. 1083. 1124. 1127. 1132. 1152. 1168. 1172.
Summa	93	9	84

Si nihil spectes nisi hos numeros, iam dixeris notabile esse vocum encliticarum quintam fere partem adhaerere vocibus iambicis oxytonis, non encliticarum nonam fere. Neque his novem exemplis a lege abhorrentibus contrarium probari posse, atque ego suscepi, iam cognoscas, si spectaveris, quibus in versibus eae exceptiones, ut ita dicam, sint. Neque enim in eis legitima post quartam thesin dihaeresis trochaica videtur esse, sed caesura iambica vicaria post quartam arsin intercedens, quam recte statuit Ritschl,[1]) licet Meyer[2]) eum refutavisse sibi visus sit. Si exempla ad unum omnia explicare licet, in Trin. 630 *facís / quid* vel personarum mutatione hanc caesuram exigi haud scio an nemo neget. In v. Poen. 1287 *hominem, mina quem argenti* pes quartus et quintus uno et eodem vocabulo coniunguntur, ut dihaeresis nullo pacto possit fieri. In vv. Most. 1130 *di te amént: de cena* et Trin. 1143 *quod darém tuae gnatae dotem,* si dihaeresis esset, fieri non posset, quin monosyllaba divellerentur ab eis vocibus, quibuscum artissime cohaerent. Deinceps si horum versuum verba legeris:

Most. 907 *écquid placeant me rogás? immo hercle vero perplacent,*

[1]) Proll. p. 274.
[2]) p. 76 sqq.

Trin. 321 *quí ipsus sibi satis placét, nec probus est nec frugi bonae,*

Trin. 922 *ád hoc exemplumst: an Charés? an Charmides. || enim Charmides?,*

caesuram vicariam melius ad sententias quadrare quam dihaeresin facile concedas. Neque postremo qui versus relinquuntur, incommode eodem loco incidi iudico:

Most. 289 *púlcra mulier nuda erít quam purpurata pulcrior,*

Most. 381 *sícut ego adventu patrís nunc quaero, quid faciam miser.*

Itaque demonstratum esse spero maxime Plautum cavisse, ne ante dihaeresin legitimam monosyllaba iambicas voces excipientia ponerentur praeter enclitica, quippe quae coniunctionem tam artam ineant, ut contra accentum non peccetur. Quae cautio maior erat, quam quae ad senarii caesuram pertinet, quia septenariis trochaicis caesura illa vicaria auxilio erat ad oxytonesin insolentem excusandam.

Quoniam de quarto septenarii pede satis multa dicta sunt, quintum non omnino silentio praeteribo, ut in quo aliquantum sit probationis contra legem dipodicam. Etenim cum non sancta quadam lege utique dihaeresin observare Plautus studuerit, id quod nec Ritschl nec Meyer negaverunt, quonam modo factum est, ut nunquam fere in versibus, qui illam non habeant, voces anapaesticae aut spondiacae ita admissae sint, ut quintam arsin oxytonae occupent, nisi encliticis sequentibus?[1]) Atque vero huius sedis diligentia non minor est quam pedis quarti. Id quidem lege dipodica usus nullo modo quisquam interpretari potest, optimo autem modo, si Ritschelii sententiam secuti pro certo putamus et ante et post caesuras maxime id egisse poetas scaenicos, ut accentus et ictus concinerent. Quod studium inde ortum esse opinor, quod caesurae auxilio ibidem concordia facilius fieri poterat, ut, quod olim eius beneficium erat, communis poetarum consuetudo atque rei metricae quaedam lex facta sit.

[1]) cf. Koehler p. 65 sqq.

Atque iam reliquum est, ut sexti pedis causam paucis absolvam. Qui quamquam „interior" est, tamen centies octies fere lex Meyeriana violatur[1]) in unum computatis vocabulis anapaesticis spondiacis choriambicis molossicis ionicis, quae libertas, quia septenariorum trochaicorum apud Plautum copia longe minor est quam senariorum iambicorum, vel maior est quam quarti senariorum pedis, cuius similis est. Septimus autem septenariorum pes easdem rationes sequitur atque quintus senariorum, de quo supra dixi, quod dicendum erat. Itaque cum non habeam, quod plura dicam, huius partis finem facio atque, postquam de rerum summa, quae ad accentus et ictus consociandi studium Plautinum pertinent, disputavi meo iudicio usus, quantum quidem potui, nihil dico nisi nemini adhuc contigisse, ut Bentleii Ritschelii eorumque sententiam refutaret, qui accentum verborum a Plauto certa ratione observatum esse putaverunt, neque legi dipodicae me fidem habere, quam qui defendunt, multas res coguntur relinquere obscuras et non expeditas.

---

[1]) cf Koehler p. 84.

III.

Pars tertia.

Adnotationes variae ad accentus et ictus rationem spectantes.

Quoniam iam tractavi ea, quae potissimum pertinent ad eam rem, quam suscepi probandam, nunc in animo mihi est adscribere nonnulla varia et, ut ita dicam, ἄτακτα, quae licet leviora quis putet, tamen neque supervacanea neque inutilia esse mihi videantur.

A. De encliticis.

Primo loco uberius disputo de voculis encliticis, quae vocantur; atque iam satis puto cognitum esse, quanti momenti sit verborum enclisis ad eas res iudicandas, quae ad accentus observandi rationem pertinent. Recte vero dixisse mihi videtur Skutsch[1]) encliseos vi neglecta de verborum accentu omnino non posse iudicari.

De verbis apud Plautum encliticis peculiare scripsit opusculum H. Ottenjann[2]) atque praeclarissime Lindsay verba fecit, cuius sententiae notitiam debeo Seyffertio, qui optime rettulit de eius commentationibus.[3]) Haec autem verba enclitica esse aut solere esse Lindsay censuit:

1) omnes verbi substantivi formas,
2) eas pronominis personalis formas, quae pronuntiationis vi carent,
3) eiusdem generis pronominis possessivi formas,

---

[1]) Forschungen I p. 155.

[2]) De vocum encliticarum apud Plautum collocatione. Diss. Monasterii Guestfalorum 1910.

[3]) Bursian 80 p. 280.

4) ea verba, quae cum nominibus unam notitiam efficiunt velut *operám dabo, factúm volo, missám face,*
5) nonnulla exigui ponderis substantiva ut *res, modus,*
6) ea substantiva, quae praepositionibus adhaerent, et verba quaedam arte cum proximis cohaerentia velut *trigintá dies, annós decem, faciás volo.*

Accedunt nonnulla, quae Lindsay ideo videtur non commemorasse, quod eorum vim encliticam omnes probant: *-que, -ne, -ve, enim, autem, quidem, quoque* al. Lindsaii opinionis adversarium me non esse iam apparuit ex eis, quae antea protuli. Neque de hac re data opera disputarem, nisi nuper E. Wallstedt duobus opusculis comprobandum suscepisset valde erratum esse a Lindsaio.[1]) Qui dicere ausus est de enclisi omnino dubitandum esse in versibus Plautinis[2]) cum de monosyllaborum tum de bisyllaborum praeter paucissima exempla ut *apúd me, intér nos, malaé rei.* Sed de monosyllabis *encliticis* rem iam actam esse existimo, siquidem recte supra demonstravi, quam contraria valeat ratio inter monosyllaba enclitica et monosyllaba soluta ante senarii iambici caesuram et trochaici septenarii dihaeresin posita. Nam qui a Plauto sua ex ratione atque consulto accentum observatum esse sibi persuasit (id quod Wallstedt minime negavit), is alio modo non potest exponere, qua de causa voces cum spondiacae anapaesticaeque tum iambicae haud raro oxytonae sint in istis sedibus sequentibus eis monosyllabis, quae enclitica esse putamus, aliis autem monosyllabis sequentibus illae nunquam, hae rarissime efficiant arsin caesuris proximam.

Difficilior est probatu bisyllaborum enclisis. A quibus (praecipue *meus, tuus, suus, mihi, tibi, sibi*) enclisin prorsus alienam esse ut demonstraret, hanc viam Wallstedt iniit[3]): quoniam artis metricae Plautinae est versuum iambicorum et trochaicorum paenultimam thesin brevi syllaba non expleri nisi prima vocis quattuor syllabas continentis (ut *făcillume*) neque exceptionibus indulsit Plautus nisi duarum vocum iambicarum, quae unius verbi instar sunt (ut *malám crucem, boná fide*), ob eam causam, ait ille, clausulas, velut sunt *măló suo, pătrém meum,* saepius[1]) Plautus scripsisset, si pronominum formae encliticae essent et una cum voce anteeunti unius vocis figuram facerent. Sed profecto hoc, quod ultimo loco dictum est, sane recte dictum est: si *maló suo* eiusdem naturae esset ac *malám crucem,* verisimile est saepius illud in versibus exeuntibus inventum iri. At enclisis longe alia res est ac duarum vocum ea iunctura, qua in unam coeant.[2]) Enclisis enim ad pronuntiationem totius enuntiati magis quam ad singulorum verborum pertinet. Neque tamen pronomina nunquam enclisin (i. e., ut germanice dicam, „Tonanschluß", ut intellegi volo) facere Wallstedt contendit, sed ea condicione, si vocis praegressae accentus „commodus" sit velut *rém meám, filiám meám,* cum in eius modi verbis enclitica se acclinent syllabis accentu genuino percussis. Arbitratur enim hic vir doctus post monosyllabum (aut bisyllabum bibreve) acutum vocis cuiuslibet iambicae oxytonesin ne a communis quidem linguae usu alienam fuisse, ut legitimi essent accentus *rém meám, séd tibí* neque minus *rém facít, séd patrí.*[3]) Quod si recte dictum est — id quod non diiudico de iambicis non encliticis —, nonne facile poterăt fieri, ut haec pronuntiatio extra fines istos cederet, praesertim si quis celeriter et concitate loquebatur? Sed vereor, ne rectum iudicium fieri non possit de his rebus, quae nisi in animis loquentium non versantur. Magis ex re fore spero ipsos versus examinare atque perspicere, num inde quid probationis capi possit. Atque contra Wallstedtium feliciter me pugnare posse spero eius ipsius armis indutum. Nam si vocum iambicarum (pyrrhichiacarum) oxytonesis legitima erat monosyllabis anteeuntibus, multum Plauti intererat quam saepissime hoc modo ictum et accentum consociare nullo discrimine facto inter „encliticas" et non encliticas. Itaque Plauto erat, quod in versibus exeuntibus, quotienscunque fieri posset,

[1]) „Enklisis oder nicht?" Från Filologiska Föreningen i Lund (1906) p. 189—219.

[2]) Studia Plautina (Lundae 1909) passim.

[3]) „Enklisis oder nicht?" p. 192 sqq.

[1]) Bis enim haec verba revera sunt in clausulis: Men. 750. Rud. 775: de illo cf. Leo et Brix-Niemeyer, hic non dissimilis.

[2]) cf. Ottenjann p. 11 sq.

[3]) Studia Plautina p. 136 sqq.

scriberet *rém meam, quíd siet, plús boni, ét fabri*, vitaret autem quam maxime cum *uxór mea, matrém mihi* tum *inquít senex, multúm valet.* Qua in re quomodo Plautus versatus sit, ut cognoscam, ita rem instituam, ut numerem, quotiens eiusmodi verba, quae enclitica esse Wallstedt negat, in versibus exeuntibus ita posita sint, ut accentus laedi videatur (sic: ⏑⏑ –́, ⏑ – sive –́ ⏑⏑ –́, ⏑ –), quotiens ita, ut servetur (sic: ⏑́⏑, ⏑ –), atque eodem modo reliqua bisyllaba, quae non enclitica esse ipse concedo, quotiens contra accentum pugnent, quotiens non pugnent. Sed ut cognoscas, quid ego voluerim Menaechmorum versus trecentos, qui primi sunt, ita dispono:

I. Verba, quae enclitica esse Wallstedt negat, in versuum clausulis contra accentum:

videntur pugnare (⏑⏑ –́, ⏑ – / – – –́, ⏑ –)	non pugnant (⏑́⏑, ⏑ –)
vv. 11. 19. 32. 43. 49. 51. 53. 62. 66. 70. 71. 77. 84. 104. 105. 125. 128. 135. 138. 146. 147. 178. 188. 190. 205. 211. 215. 217. 221. 229. 232. 234. 242. 246. 248. 255. 266. 271. 275. 281. 285. 288. 294.	59 níl erat. 182 és mihi. 225 híc ero.

II. Verba, quae non enclitica esse non nego, contra accentum:

pugnant (⏑⏑ –́, ⏑ –; –́ – –, ⏑ –)	non pugnant [1]) (⏑́⏑, ⏑ –)
vv. 9. 14. 17. 18. 20. 26. 27. 28. 47. 61. 69. 82. 87. 88. 99. 103. 109. 124. 130. 140. 141. 153. 154. 159. 160. 176. 180. 184. 189. 191. 193. 196. 203. 218. 219. 224. 227. 228. 237. 249. 251. 257. 267. 286. 292. 296.	3. 24. 29. 31. 33. 42. 56. 75. 86. 96. 132. 136. 156. 158. 162. 198. 207. 213. 216. 220. 222. 239. 247. 253. 282. 297.

[1]) In *illúc* (v. 29) oxytonesin legitimam, non metricam esse recte Skutschius docuit (Forschungen. passim); haud dissimiles sunt accentus *factúmst [fabre]* (v. 132) et *insanúst homo* (v. 282).

Trium aliarum fabularum versibus trecenis eodem modo excussis hos numeros inveni:

in vv. exeuntibus	I. Verba *enclitica* contra accentum: *videntur* pugnare	I. Verba *enclitica* contra accentum: non pugnant	II. Verba non enclitica contra accentum: pugnant	II. Verba non enclitica contra accentum: non pugnant
Men. 1—300	43 ×	3 ×	46 ×	26 ×
Merc. 1—300	31 ×	6 ×	48 ×	34 ×
Mil. 1—300	30 ×	6 ×	58 ×	34 ×
Poen. 300—600	37 ×	7 ×	50 ×	33 ×
Summa . . .	141 ×	22 ×	202 ×	127 ×

Quibus a numeris profectus hanc subduco summam: si et comprobatum esse putamus Plautum accentum respexisse, *quoad fieri poterat,* et vocis iambicae oxytonesin ab linguae cottidianae usu non abhorruisse antecedente monosyllabo acuto (aut bisyllabo bibrevi), sin aliis vocibus antepositis accentus non laedi non poterat, his dico rebus concessis mirum est, quod, ut ex hoc numerorum conspectu apparet, aliarum vocum septima tantum pars ea est, ut accentus observentur, aliarum e quinque partibus tres. Cui difficultati cum ita satisfieri non possit, Wallstedtii istam opinionem defendendam non esse elucet. Nam qui numeros illos, quos excussi, animo perspexerit, negare non potest multo magis Plautum dedisse operam, ut earum vocum iambicarum, quae sine dubio accentu proprio utuntur, oxytonesin excusaret vel potius legitimam redderet monosyllabo anteposito quam earum, quas encliticas esse equidem censeo aut, si ex contrario deliberare licet, eum facilius encliticis voces longiores excipi sivisse ita, ut accentus mutarentur, quam non encliticis. Profecto non intellego, cur non eodem studio Plautus id egerit, ut hac ratione commodissima accentus cum ictu metrico consociaret, nisi eorum accentus mutati facilius ferri poterant sive, quae res eadem est, si pronominum formae facilius cum aliis vocibus ita coniungi poterant, ut singuli accentus ad binas voces pertinerent, etsi non ita, ut binae in singulas prorsus coalescerent. Wallstedt enim non mediocriter erravisse mihi videtur, quod

enclisin vocum iambicarum fieri non potuisse iudicavit, nisi antecedentis verbi accentus, ut ait, commodus esset i. e. legitime oxytonus.[1]) Neque enim facile quis neget encliseos potestatem non ex accentuum natura, sed ex notionum iunctura profectam esse ita quidem, ut inde accentuum communicatio efficeretur. Neque vero offendere decet, quod voces non encliticae non semper monosyllabum excipiunt, quia Plauto non poterat contingere, ut in clausulis iambice cadentibus semper ictus et accentus efficeret concentum.

Quibus rebus perpensis eius sententiam sequi non possum, qui existimat in *uxór mea* pronominis formam non minore accentus vi praeditam esse quam in *venít pater* substantivi formam. Nam nihil aliud vult ea *enclisis,* quam ego intellego, neque ullo modo impedior, quin hac notione ac vi encliseos posita dicam illas formas in versibus cadentibus positas fuisse *encliticas.* Quamquam non ignoro encliseos auxilio non omnibus rebus satisfieri posse; tanta enim difficultas omnium rerum, quae ad antiquae linguae pronuntiationem pertinent, communis est, quoniam nos nostris auribus iam non possumus percipere, quomodo dixerint Romani.

Neque tamen omittendum esse censeo paucis locis Plautum his encliticis iambicis seu pyrrhichiacis etiam ante et post caesuras indulsisse, ut verborum proximorum accentus mutarentur:

Amph. 366 *né tu istic hodie maló[4] tuŏ . . . .*

Aul. 764 *té abstulisse neque edepól[4] ego . . . .*

Capt. 1021 *séd⟨tu⟩ dic oro patér[4] meus . . . .*

Poen. 498 *addice tuám[2] mihi | meretricem minusculam*

Pseud. 1223 *víginti minae || atque etiám[4] mihi | aliae viginti minae*

Rud. 575 *dum árescunt mea in aliquó[4] tibi | gratiam referam loco*

[1]) Studia Plaut. p. 131 sq.

Trin. 86 *atque id tamén[2] mihi | lubeat suspicarier*

Trin. 1162 *istac lege filiám[4] tuam | sponden mihi uxorem dari.*[1])

Monosyllaborum autem enclisis dilucide apparet e septenariorum iambicorum ultima sede, in qua, quia trochaice cadit, data opera voces iambicas oxytonas vitavit Plautus nisi monosyllabo enclitico secuto:

Asin. 549. 713. Cist. 323. 705. 735. Epid. 358. Most. 175. Pers. 43. Poen. 1241. Rud. 312. 363. Trin. 234. Truc. 148 Inter mille fere versus non plus tres exceptiones inveniuntur atque, quae excusari quodammodo mihi videantur: Mil. 1227 *Venús[7] volt,* Poen. 1242 *uter utrí det,* Stich. 771 *papáe || pax.*

B. De clausulis diiambicis.

Quoniam de enclisi iam satis dixisse mihi videor, nunc disserere in animo habeo de rebus quibusdam, quae maioris momenti sunt ad hanc disputationem, atque inquirere, num certo cognosci possit, quae sit accentus cura in eorum versuum clausulis, qui ante dipodiam extremam ipsis verbis inciduntur velut aut:

Men. 376 *práeut si triduom hoc hic erimus:*
tum arbores | in te cadent

aut: Men. 102 *tantás struices concinnat | patinarias.*

Atque iam dudum cognitum est has dipodias singulis vocabulis diiambicis solere effici, quotienscunque in pede proximo (i. e. in quarto senarii et sexto septenarii trochaici) verborum spondiacorum anapaesticorum molossicorum accentus negleguntur.[2])

[1]) Pronominum formae *meo, meae, meum, meam, tuo, tuae, tuum, tuam* etc. utrum synizeseos vi ad unam syllabam hic illic redactae sint necne, graviter certatum esse inter viros doctos haud ignoro. Tamen ne nunc quidem hanc quaestionem disceptatam esse censeo a G. Jachmanno, qui postremus, quod sciam, in eam incubuit: Studia prosodiaca ad veteres poetas scaenicos Latinos spectantia (Marpurgi 1912) p. 33 sqq.

[2]) cf. Hingst, De spondeis et anapaestis in antipaenultimo pede versuum generis duplicis Latinorum (Leipzig 1904), Ritschl Proll. p. 211. 214. Meyer p. 85 sq.: „Im Übergange vom 5. zum 6. Trochäus (sc. des troch. Sept.) sind, wie im 4. Fuße des jambischen Senars, unreine Wortschlüsse m e i s t nur dann zugelassen, wenn nach demselben ein vier- oder mehrsilbiges Wort den Zeilenschluß bildet."

Neque id homines doctos fugit hanc Plauti consuetudinem ex accentus observandi studio fluxisse, ne utraque clausulae pars a cottidianae orationis sono abhorreret. Quod quamquam ne Wallstedt quidem negare ausus est,[1]) tamen aliam causam multo plus valuisse putat. Persuadere enim nobis vult eiusmodi versuum partes posteriores in creticum et dipodiam iambicam (– ⏒ – / ⏒ – ⏑ –) esse dividendas „neque Plautum ipsum aliter de talibus versus partibus iudicasse."[2]) Sed quid aliud de Plauti ipsius iudicio nos dicere possumus, nisi quod versus docent? Versibus autem suam opinionem confirmari Wallstedt mihi non persuasit. Nam ut demonstraret in cretico illo „irrationali" accentum omnino respectum non esse neque „Plautum necessitate quadam adductum legem dipodicam interdum violasse,"[3]) nonnullos versus congessit, quos ait ita Plautum „potuisse" condere, ut servaretur verborum accentus, quae sunt ante dipodiam extremam, velutsi nihil in versibus scribendis Plauto esset curandum aut respiciendum praeter accentus. Itaque factum est, ut, cum corrigere vellet poetae versus, corruperit. Etenim in nonnullis eorum versuum accentus causa ab illo mutatis caesurae legitimae delentur aut certe pertubantur ut:

Merc. 377 *áge igitur: nolo advorsari advorsum tuam sententiam* (Plautus: *ádvorsari / tuam advorsum sententiam),*
Trin. 648 *praéoptavisti uti virtuti amorem tuam praeponeres* (Plaut.: *amórem tuam uti / virtuti praeponeres),*
cf. Bacch. 438. Capt. 40. Mil. 845.

In aliis vocabula allitterationis, quae dicitur, vinculo coniuncta separari necesse erat:

Asin. 266 *fálsae meae fallaciae* (Plaut. *méae falsae fallaciae),*
Capt, 671 *falsídicis ⟨et⟩ scelestis tuis fallaciis* (Plaut.: *tuís scelestis falsidicis fallaciis),*
Capt. 878 *condecoret sémper suo cognomine* (Plaut.: *cóndecoret cognomine),*

[1]) cf. Studia Plaut. p. 105.
[2]) p. 99.
[3]) p. 99 sq.

Poen. 498 *meretricem addice tuam mihi minusculam* (Plaut.: *addice tuam mihi meretricem minusculam),*
cf. Poen. 339. Rud. 633. Stich. 457.

Aliis versibus verba inutilia neque ullo modo necessaria intericienda erant:

Curc. 375 *neque hércle vero quom belle ⟨ego⟩ recogito* (Plaut.: *quóm belle recogito),*
Merc. 328 *qui mihi quoque etiam ad portum ⟨hodie⟩ est negotium* (Plaut.: *ád portum negotium).*

Qua via inita Wallstedt nihil proficere potuit, quoniam Plauto prorsus ignotus erat iste creticus maiore licentia insignis. Neque vero tam paucae sunt exceptiones, quam ille videtur putare,[1]) praesertim cum eius quidem sententia etiam in eis dipodiis ictus et accentus concordia nulla sit, quae in voces iambicas *encliticas* exeunt. Equidem in octo fabulis non minus exempla XLVI inveni, quae illicita esse illi fatendum est:

1. Aul. 76 *néque quícquam meliust mihi* (cf. Cas. 82)
2. „ 291 *dímidium iussit dari*
3. „ 365 *in puteo cenam coquant*
4. „ 464 *surriperent misero mihi*
5. Bacch. 90 *adfueris si non lubet*
6. „ 246 *Mnesilochus // vivit, valet*
7. „ 348 *conveniam, quantum potest*
8. Men. 182 *quid ego extra numerum es mihi*
10. „ 294 *non nosti nomen meum*
11. „ 420 *iam dudum mulier tibi*
12. „ 484 *quid multis verbis ⟨opust⟩*
13. „ 616 *iam de istis tibi illuc redi*
14. „ 630 *huc intro tetuli pedem*
15. „ 681 *ut ferres paulo prius*
16. „ 873 *quam valuit paulo prius*
17. „ 1087 *aut geminus frater tuos*
18. „ 1090 *post eandem patriam ac patrem*
19. „ 1138 *surrupui dudum domo*
20. Merc. 453 *credo aliquem, quem non velit*
21. „ 627 *qui ego istuc credam tibi*

[1]) cf. p. 106. 134.

22. Merc. 694 *vocasset summos viros*
23. „ 705 *iam rediit uxor mea*
24. „ 752 *quos inter index datu's*
25. „ 761 *ego istuc dixi tibi*
26. „ 846 *laetitiam ludum iocum*
27. „ 1010 *quam meum intro refero pedem*
28. Pers. 385 *nunc hominum mores vides*
29. „ 408 *iniúre inlex labes popli*
30. „ 579 *vendidero pretio suo*
31. „ 706 *multimodis scriptumst tuom*
32. „ 639 *atque equidem miseret tamen*
33. Poen. 286 *nisi sumptus sequitur scio*
34. „ 287 *si eúm sumptus superat soror*
35. „ 385 *linguam || ecquid facies modi*
36. „ 1320 *ite istinc servi foras*
37. Stich. 262 *haec eadem dicit tibi*
38. „ 390 *Pamphilippum || non || non adest*
39. „ 439 *Sagarīnum cenam coqui (cf. v. 433)*
40. „ 490 *sunt populi summi viri*
41. „ 603 *decipiat || non tu hinc abis*
42. „ 661 *Dionȳsum mihique et tibi*
43. „ 761 *unguiculis inde huc aquam*
44. Trin. 583 *conveniat || quin tu i modo*
45. „ 883 *tuom primum memora mihi*
46. „ 918 *quando egomet memini mihi.*

Quae copia maior est, quam ut exceptionum excusatione defendi possit. Notandum autem est exempla XXI esse eiusmodi, ut voces encliticae pedem extremum teneant, quomodo accentuum mutatio satis excusatur (Nr. 1. 4. 7. 8. 9. 10. 15. 16. 17. 21. 23. 25. 30. 31. 32. 35. 37. 42. 44. 45. 46.). E reliquis haud scio an sex ea excusatione utantur, quod voces iambicae sequuntur monosyllaba, ut figura –́,⏑– cretici verbi loco sit (Nr. 5. 18. 20. 38. 41. 43.). Haec autem exempla illaque XXI aperte docent summum vel unum fuisse Plauti in eiusmodi clausulis studium, ut ictus accentibus linguae accomodaret. Quam quidem ad rem cum istis in sedibus voces diiambicae praeter ceteras maxime idoneae essent, quarum auxilio etiam iambi extremi difficultas superari poterat, huius

dipodiae sedem quasi legitimam videntur recepisse. Quod verisimilius esse mihi videtur quam putare Plautum iudicavisse duas illas partes clausulae conglutinatas quodammodo esse ex cretico libero et dipodia iambica. Neque enim adhuc probatum esse censeo alias versuum incisiones Plautum habuisse cognitas nisi caesuras et dihaereses legitimas. Immo necessitate cum verborum polysyllaborum tum iambici pedis ultimo loco efficiendi factum est, ut posteriores versuum partes aut figuram –⏑–/––⏑– aut figuram –⏑––/–⏑– sequi posse videantur.

Atque vero in clausulis, ut est *virtuti praeponeres*, non dipodiae sed accentus causa voces diiambicas poni solere demonstrare me posse spero propriam viam ac rationem secutum. Ut breviter dicam, quid sentiam, in ultima et paenultima sede eo magis accentus observari videtur, quo maior est licentia vocum anteeuntium. Maxima autem ictus et accentus discrepantia sine dubio ea est, si voces anapaesticae spondiacae choriambicae molossicae sunt oxytonae; facilius iambicarum vocum oxytonesis toleratur; creticae autem voces ante dipodiam ultimam positae contra accentum omnino non pugnant. Si ita res se habet, suspicari possumus, si nos recte iudicaverimus, maxima accentus licentia uti eas dipodias, quas antecedant voces creticae, minore eas, quae voces iambicas sequantur, minima eas, quae voces anapaesticas spondiacas ceteras excipiant. Quod ex paucis fabulis satis explicari potest.

Exempli causa Militis exempla propono:

I. Post vocem *creticam* efficiuntur

1. dipodiae XXV vocibus diiambicis aut creticis et monosyllabis anteeuntibus, quae cum illis ipsa sententia cohaerent: vv. 69. 149. 169. 217. 272. 273. 312. 350. 478. 504. 518. 633. 656. 807. 824. 832. 1004. 1122. 1133. 1159. 1167. 1322. 1344. 1355. 1399., quibus in clausulis contra accentum omnino non peccatur;

2. dipodiae XXI vocis anapaesticae (spondiacae) et iambicae (pyrrhichiacae) encliticae formam habent aut eam, ut iambica extrema excipiat monosyllabum, quomodo accentus mutati iusta ratio exstat: vv. 28. 136. 193. 266. 301. 550. 573. 601. 740. 777. 995. 1116. 1162. 1208. 1316. 1363. 1401[a]. 1406.

1425. 1427. 1429., quibus adiungere decet vv. 468. 610, 1330., quorum clausulae habent formam —, ◡◡◡⏓;

3. in versibus exeuntibus 14ies duae voces bisyllabae non enclisi coniunctae sunt, ut ictus metricus ab accentu plane abhorreat: vv. 27. 49. 135. 204. 451. 547. 558. 584. 609. 682. 1285. 1348. 1397. 1408.

II. Eandem rationem si sequaris in eis exemplis, quae ante dipodiam habent vocem *iambicam* oxytonam, ita iudicandum est:

1. sunt in clausulis voces diiambicae undetriginta: vv. 80. 101. 173. 192. 207. 214. 268. 269. 274. 426. 486. 554. 556. 572. 595. 619. 695. 727. 771. 817. 839. 860. 873. 1113. 1179. 1323. 1395. 1404. 1434.

2. facta est clausula sic: –, ⏖, ◡ – aut duobus bisyllabis encliticis 13ies: vv. 50. 236.[1]) 282. 317. 445. 492. 512. 590. 725. 786. 1345. 1384. 1392.

3. bisyllabis non encliticis ter: vv. 203. 491. 974.

III. Post voces *anapaesticas* ceteras

1. sequitur diiambica 16ies: vv. 29. 59. 602. 646. 696. 715. 805. 820. 857. 1094. 1110. 1125. 1135. 1313. 1359. 1360.

2. forma –, ⏖, ◡ – aut duo bisyllaba enclitica in his tribus versibus: 31 *hercle operae pretium quidemst,* 263 *erí sese vidisse eam,* 502 *virgarum de te datur.*

3. duo bisyllaba non enclitica sequuntur in uno: 1095 *nam nullo pacto potest.*

Quibus unius fabulae exemplis probari mihi videtur eo maiorem esse dipodiae ultimae libertatem, quo minus proximae sedis verba ab accentu dissentiant. Ut brevitati serviam, hanc tabulam propono, ex qua cognoscas, quomodo res se habeat in tribus aliis comoediis.

[1]) *Istuc* legitime oxytonum est, ut hic versus huic ordini recte adiungi possit.

I. Amphitruonis exempla.

Ante dipodiam ultimam est vox	Summa	Dipodia facta est: voce diiambica	duabus encliticis aut forma –, ⏖, ◡ –	duabus non encliticis
cretica	67	35	19	13
iambica	50	24	22	4
spond. etc.	18	14	3	1

II. Stichi exempla

cretica	39	19	8	12
iambica	44	24	14	6
spond. etc.	21	14	5	2

III. Trinummi exempla

cretica	56	17	19	20
iambica	59	32	16	11
spond. etc.	26	22	4	—

C. Accentus observandi curam non ubique eandem fuisse demonstratur.

Ad alias res ut transeatur, demonstrare cupio accentus respiciendi studium non idem fuisse in omnibus fabularum partibus, non solum si septenarios trochaicos cum senariis conferas, verum etiam si variae partes senariis compositae inter se comparantur. Quam rem optime cognosci posse existimo e prologis, ut quos spectatorum causa (cf. Poen. 3 sq.) gravi quadam et sollemni voce recitari opus esset. Itaque etsi de Plautina omnium illorum versuum origine iusta est dubitatio, tamen vel imitatores eadem atque ipsum Plautum lege teneri consentaneum est. Meo igitur iure mihi videor rem ita instituisse, ut numeris exprimerem, quotiens in versibus prologorum et aliarum partium septuagenis quinis discordes sint ictus et accentus encliseos vi plane neglecta. Qui numeri quantopere inter se differant, ex hoc indice apparet:

In prologorum vv. septuagenis quinis	contra accentum peccatur	In aliis vv. septuagenis quinis	contra accentum peccatur
Amph. 1—75	61	Men. 273—348	87
Cas. 1—75	72	Men. 466 - 541	90
Men. 1—75	71	Merc. 667—745	101
Mil. 79—154	63	Mil. 514—590	97
Poen. 1—75	69	Trin. 402—477	86
Summa	336	Summa	461

Sed profecto Plautum in prologis accentus et ictus concordiae magis dedisse operam quam aliis in partibus mirari decet, nisi colligitur alacri in sermone accentus neglecti offensionem non tantam fuisse vel potius oratione cito profluente minus aegre ferri solitam esse quam in prologis et ubicunque histriones graviter placideque loquebantur. Quod si verisimile est, fieri non potest, quin inde appareat, quantopere valuerit enclisis atque ea accentus ratio, quae non ad singulas solutasque voces, sed ad totam enuntiationem pertinet. Qua re licet inlepidum quis putet numerare omnes cuiusvis partis ictus cum accentibus pugnantes neque hoc modo quicquam probari posse, haud scio an aliter censeat de eis, quae sequuntur. Etenim a Langenio [1]) bene scriptum est, si Meyer recte dixisset ictus et accentus apud Plautum concordiam quasi sua sponte ortam esse e trium syllabarum, quae dicitur, lege („Dreisilbengesetz"), fieri non potuisse, quin in trimetris comicorum Graecorum haud minus concinerent ea condicione, ut fingamus voces Graecas eadem accentus lege uti. Quam rationem longius persecutus ipse quoque Aristophanis et Menandri versus accentu Latino instruxi, quo facto numeravi, quotiens dissentirent ictus et accentus. Atque e centenis trimetris hos numeros dissensionum computavi:

Aristoph. av. 1—100	. . . .	168
„ „ 1196—1261 + 1269—1304	. . .	165
Menand. Sam. 100—200	. . . .	150
„ Epitr. 1—100	. . . .	169
„ „ 200 -300	. . . .	176
	Summa	828

[1]) Philol. 46 (1887) p 403.

Quibus e numeris si medius numerus computatur („Durchschnittszahl, ut nos dicere solemus), efficitur versuum centenorum 165, ex versibus Plautinis autem 106, qui numerus ex indice de prologorum aliarumque partium septuagenis quinis supra disposito subductus est. Inde apparere censeo magnam concinnitatis partem certa ratione effectam esse, quam consulto et cogitate poetae Latini secuti sint.

D. De versuum iambicorum et trochaicorum initiis accentus causa variatis.

Sed ad aliam rem transeamus. H. Sjögren enim in libro illo, quo bene meritus est de rebus Plautinis, [1]) recte monuit in versibus trochaicis ineuntibus Plautum scripsisse *éo ego,* in iambicis *ego éo* scil. eo animo, ne contra accentum vulgarem pronomen *ego* ictu feriretur, [2]) et speravit Lindsay [3]) fieri posse, ut similia invenirentur.

Atque facile demonstrari potest omnino id cavisse Plautum, ne encliticon *ego* ictum reciperet. Ob hanc enim causam in senariis ineuntibus scribere maluit [4]) *quid núnc ego fáciam* (Bacch. 857. Merc. 712), in septenariis autem trochaicis *quíd ego nunc faciam* (Cas. 549. Curc. 555. Men. 963. Most. 371. 1149.)

Etsi non nego reliqua, quae allaturus sum, neque eiusdem generis esse neque tam aperte patere, tamen non omittere constitui, quia ea quoque idonea esse puto, quibus demonstretur etiam parvis in rebus a Plauto accentum respectum esse.

Haud raro enim iambicorum versuum pars prior haec est: *pro di immortales* (velut Epid. 341. Men. 474. 1001. 1062. Most. 77. 206. 530. Poen. 967. 988. Trin. 160). Quae exclamatio ut in septenariis trochaicis ineuntibus aliquanto rarior est, ita semper interiectio *pro* omittitur: *di immortales* (cf. Aul. 808. Men. 1081. Most. 912. Poen. 275. 923). Cuius rei ratio dilucida est. Vitavit enim Plautus septenarii initium *pró di immortalés,*

[1]) Zum Gebrauche des Futurums im Altlateinischen (Upsala 1906) p 15 Anm. 1.

[2]) Minime igitur licebat Leoni ita scribere Mil. 812: *égo eo intro igitur,* sed scribendum erat cum multis: *éo ego intro igitur.*

[3]) Bursian 130 p 161.

[4]) cf. Ottenjann p. 16. 40.

quia in tertia arsi accentum violari necesse erat. Quae res eo magis memorabilis est, quod accentus neglecti licentia ab ista sede non aliena atque ex lege illa dipodica prorsus legitima est. Sed vero uno in versu exstat illud *pró di immortalés* (Amph. 822). Quam quidem ob causam hoc uno loco Plautus abscesserit ab isto usu, qui legis paene loco esse videatur, me explicare vix posse fateor: haud scio an ideo, quod Amphitruonis, cuius haec verba sunt, animus vehementi impetu permovetur, ut etiam accentus rationem legitimam contemnat. Ac licet pauca alia exempla latere possint, tamen me non erravisse confido, quod accentus causa id alioquin cautum esse existimo. — Haud minus probabile hoc est, quamquam non eandem diligentiam Plautus adhibuit. Cum fabularum personae alloquuntur eos, qui adsunt, in iambicorum versuum initio haec verba sunt: *(vos)*
sed spéctatores (Bacch. 1072. Stich. 775), in septenariis ineuntibus: *spéctatores* (Bacch. 1211. Capt. 1029. Cas. 1012. Most. 1181. Pers. 857. Truc. 968). Bis quidem dicitur *núnc spectatorés* (Amph. 1146. Men. 1162), quamquam hic sonus etiam mediis in versibus vitari solet.[1]) — Eiusdem fere generis haec res est: sunt senarii, qui incipiant *adulèscens* (cf. Men. 289. 494. Most. 653). Quod verbum si septenarii trochaici primum est, contra accentum peccatur (*ádulescéns* cf. Men. 1025. 1066.), quare Plautus dicere videtur maluisse: *heús adulescens* (Men. 135), *ó adulescens* (Men. 1065), *quíd adulescens* (Trin. 871). Neque ego dubito, quin accentus servandi causa scriptum sit Most. 518 *quáe res te agitat,* ne versus initium fieret: *quáe te res agitát,* id quod ad rhythmum iambicum optime convenit: *quae té res agitat* (Men. 710.).

[1]) cf. Amph. 998. Asin. 1. Cist. 782. Curc. 729. Stich. 674. Truc. 482.

Peroratio.

Quamquam eius generis quin plura in versibus Plautinis lateant, dubitari non potest atque in quavis, ut ita dicam, pagina offeruntur observatiunculae, quae ad accentum referri possint, tamen disputationis finem iam faciam. Sed parum modestiae mihi esse ne arbitreris quaeso, quod id effecisse mihi videor, quod potissimum mihi proposui: primum ut priorem de accentus observandi studio sententiam, cuius auctor praeclarissimus fuit Ritschl, pro meis viribus a Meyeri impetu defenderem, deinde ut demonstrarem, quomodo et qua ratione, dummodo singulis rebus detur opera, huic quoque quaestioni iam diu a multis tractatae ac retractatae incrementum aliquod et auxilium fieri possit. Atque si septenarios et octonarios iambicos nimis me neglexisse censeas, eam veniam peto, quod de eis praecipue comoediarum versibus disputare meum putavi esse, qui in diverbii partibus usurpari solent. Octonariorum quidem usum, ut quibus nisi in canticis locum non dederit Plautus, cum in rebus metricis prosodiacisque[1]) tum in verborum accentibus observandis multo liberiorem fuisse non dubito concedere.

Sed quamquam de multis, quae protuli, non dubitandum esse probavi, tamen non ignoro satis obscurum esse, quam longe pertinuerit accentus et ictus conciliandi studium apud poetas scaenicae poeseos antiquos idque ob eam potissimum causam, quod adhuc multa obscuritas est de ea quaestione, cuiusmodi in enuntiatis continuis fuerint verborum accentus sive — ut idem aliter dicam — quae ratio intercesserit inter vocum singularum accentus et eum, qui in sententiarum coniunctione sonabat. De hac autem re aliquando certo sciri posse sperare vix licet, quoniam omnis linguae Latinae nostra scientia ex mutis, ut aiunt, magistris capienda est.

[1]) Ex. gr. cf. de correptione iambica in arsi paenultima concessa quae dixerit G. Jachmann, Studia prosodiaca p. 21 sqq.

Index rerum.

Vita.

Natus sum Gerhardus Hoischen Id. Sept. anni proximi saeculi LXXXVIII. patre Henrico, matre Elisabeth e gente Wiengarten in Guestfalorum oppido, cui est nomen Susatum. Fidei addictus sum catholicae.

Litterarum elementis institutus patriae urbis adii archigymnasium, cuius per novem annos fui discipulus. Verno a. h. s. IX. tempore maturitatis testimonium adeptus almam matrem Monasteriensem petivi studiis philologicis historicisque operam navaturus. Bis sex mensibus post Bonnensem subii disciplinam, qua per duo semestria frui licuit. Vere anni MCMXI. Monasterium redii, ubi per quater senos inde menses civis academicus fui. Anno proximo exeunte examen pro facultate docendi superavi, rigorosum a. d. VII. Kal. Iun.

Docuerunt me viri doctissimi

Bonnenses: Brinkmann, Elter, Loeschcke (nunc Berolinensis), Marx, Nissen †, Solmsen †, Wentscher;

Monasterienses: Cauer, Erler †, Geyser, Gottlob, Hielscher, Hoffmann, Koepp, Kroll (nunc Vratislaviensis), Meister, Muenscher, Seeck, Sonnenburg, Spannagel, Spicker †.

Quibus omnibus viris doctissimis gratum servabo animum, imprimis Krollio, Muenschero, Sonnenburgio, qui ut per duo semestria seminarii philologici sodalis ordinarius, per unum senior essem, benigne mihi permiserunt, nec minus R. Wuenschio, qui huic disputationi conficiendae maxime favit, etsi eius disciplina frui mihi non licebat. Praeter ceteros autem pio gratoque animo colam P. Sonnenburgium, qui ut omni tempore consilio et hortatione me adiuvit, ita in hoc opusculo perficiendo humanissimus mihi exstitit fautor adiutorque.